DE LEGVM PLATONICARVM COMPOSITIONE QVAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AVCTORITATE AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA

RITE CAPESSENDOS

VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS

DIE VI MENSIS AVGVSTI A. MDCCCLXXVII

HORA XI

PVBLICE DEFENDET

SCRIPTOR

IVO BRVNS

BEROLINENSIS.

ADVERSARIORVM PARTES SVSCIPIENT:

RICARDVS GAEDE STVD. PHIL.
HERMANNVS KLAMMER STVD. PHIL.
LVDOVICVS MARTENS DR. PHIL.

BONNAE

TYPIS CAROLI GEORGI, VNIV. TYPOGR.

1877.

FRANCISCO · BVECHELER

HERMANNO · VSENER

De legum Platonicarum compositione mirabitur fortasse qui novam disputationem institui videt, veterum recordatus quae fuerint de hac re controversiarum: tironibus certe campum esse vix idoneum, in quo per bis sex lustra sine successu litigaverint viri doctissimi. Erunt etiam qui omnino negent suspiciones illas de legum origine amplius esse persequendas. Ad eum enim provocabunt virum, qui quamvis princeps sit et quasi pater omnium harum dubitationum, tamen errasse se cum Platoni leges abdicaret, ingenue confessus sit. Relegabunt operam impensuros his libris ad negotium multo fructuosius et dignius philologis. Suadebunt, ut praeclara Badhami inprimis vestigia prementes leges Platonicas temporum iniuriis prave corruptas squalore illo arte philologa liberent et in pristinum restituant nitorem.

Verum esto iam nimis de legibus in universum disputatum esse. Tamen critici necesse est, priusquam singulos locos emendent, subeant officium hoc, quod paucis adumbrabo. Nam certane constantique medendi ratione opus aliquod antiquitus corruptum tractari potest, nisi antea originem eius compertam habeas?

Atqui tot tantorumque virorum studiis huius quaestionis non sublatae difficultates videntur, sed auctae.

Sane Zellerus sententiam suam de origine legum non Platonica mutavit. Et iure hoc fecit summoque peritorum cum plausu. Tamen libellum illum de legibus non frustra scripsit vir egregius. Duo enim diligentissima qua solet et ingeniosissima cura docuit, quae etiamnum teneamus opor-

tet: et discrepare leges a prioribus Platonis scriptis sententiis oratione dialogi forma et inaequali cura conscriptas esse multisque laborare incommodis, quae librariis non possint tribui. Atque prius illud si externa respicimus Aristotelis testimonia et potest et debet senectute excusari scriptoris. Altera difficultas eadem ratione nequit expediri: iam vero si in eodem opere alia consideratissimo ordine splendido sermone gravissima sapientia exposita, alia abrupte hariolanter imbecille conscribillata leguntur, optimo iure conicimus alium opus delineasse alium edidisse. Atqui certis testimoniis traditum est, quod, si non esset traditum, indubitanter statueremus. Qua re firmiter tenendum est quod Diogenes Laertius (III, 37) Suidas (s. u. *φιλόσοφος*) Eudocia tradunt, Philippum Opuntium edidisse leges Platonis.

Scio haec nota esse tritaque omnibus, qui in his studiis versantur, expressisque verbis iam Boeckhius monuit his (in Min. p. 73.): probabile est „repetitam recensionem quam alias in scriptis suis exercuisse Platonem animadvertit Wolf. Prolegg. ad Hom. p. CLIII non esse adhibitam huic libro: plura enim vestigia licet deprehendere moventia suspicionem, nec absolutum eum esse nec expolitum, nec ultimam ei a scriptore manum admotam.“ Clarius idem expressit Michelet, cum diceret (Jahrbücher für wissenschaftliche Kritik. Berlin 1839 p. 868): „Philipp von Opus hat also, ehe er die Epinomis schrieb, jene Bruchstücke platonischer Nachlassenschaft verbunden, redigirt, stylisirt und soviel Zusätze gemacht, dass sich alles Unplatonische daraus erklären, ebenso ihr Platonisches aber sich nicht wegläugnen lässt“ et porro: „ . . . es mochte Ph. d. Op. indem er vielleicht theilweise aus der Erinnerung des mündlichen Vortrags die vorgefundenen Aufzeichnungen Plato's ergänzte, dabei seine Denkungsweise und einen popularen Charakter des Philosophirens hereingebracht haben, vollends die Platonische Schreibart nur unvollkommen haben nachahmen

und durchführen können." e. q. s. Et quisquis postea de legibus disseruit, hoc saltem sumpsit opus a Platone non perpolitum esse. Diltheyum dico (Platonicorum libr. de legibus examen p. 57), Steinhardtum, (Müller-Steinhardt Plato's Werke VII, 1. pag. 101), Zellerum (Phil. der Griechen II. 1. 3. Aufl. pg. 833). Idem Stallbaumius quoque mordacissimus legum defensor concessit verbis his: „nimirum omnino quidem dubium esse non potest, quin legum opus, etiamsi non plane perpolitum sit, tamen totum atque integrum superstes habeatur". (Platt. opp. omn. X, 2. proll. XXIX). Graviora sunt, quae C. F. Hermann (Geschichte und System der Pl. Ph. p. 708 adn. 733) dixit, quem valde dolendum est suspiciones suas tam breviter subnotasse. Denique Susemihl ad hanc rem spectantia non pauca utilissime versioni suae adnotavit.

Attamen nego acquiescendum esse in eis, quae viri docti obiter de hac re et in transcursu decreverunt. Immo permirum est neminem adhuc data opera totum opus perscrutatum esse, ut tandem appareret editor ille quo modo, quam caute vel quam violenter perpoliendi hoc munere functus esset. Nam hoc si certum est in ipso componendo opere duas manus versatas esse, concedes mihi artem criticam debere vacillare, nisi in discernendis scriptore et editore certam habeamus quam sequamur rationem. Atque huius quaestionis maioris equidem, quam quae eadem opera incohari possit ac profligari, specimen esse volo hunc meum libellum. Mihi enim dum identidem consilio isto opus totum perlego, persuadebatur ne primum quidem eius librum alienam non passum esse manum. Neque tamen de universo opere dubitationes meas nunc proponere in animo est. De prioribus enim quattuor libris, qui uberiore artis scaenicae apparatu instructi sunt, lubrica est et difficillima quaestio, quoniam id quod incongrue et abrupte videtur dictum esse, revera libertati potius poetae scaenici tribui poterit. Stabiliendum ergo iudicium de totius operis natura

ex accuratissimo posterioris partis examine, in qua *διηγηματικὸν* praevaleat disserendi genus.

Ex hac igitur parte quaedam in conspectu virorum doctorum liceat ponere, exemploque utamur libro quinto quaerentes num forma eius qualis tradita est vera et Platonica fuisse possit.

Qua re primum paucis adumbrandum est, quid hoc libro sibi voluerit efficere scriptor quodque secutus sit consilium. Vertitur autem in eo quasi cardo totius operis. Nam postquam prioribus quattuor libris de legibus in universum disputatum est, altera parte praecepta illa generalia singulari certoque quodam condendae urbis exemplo illustrantur. Atque cum prior pars (ut graecis verbis utar) *ἐν διατριβῇ περὶ νόμων καὶ πολιτείας* (I, 625[a]) versetur, posterior *ὑπογράφει νόμους πόλεως* (V, 734[e]). Haec vero legum adumbratio, quae et magistratuum constitutionem (VI 751[a]—768[a]) et ipsam legum explicationem (VI 769—XII 960[b]) continet, ut fieri possit, necesse est, forma primum atque species eius urbis describatur, cui et magistratus constituantur et leges dentur. Quare librum quintum, cui *κατοίκισις πόλεως* inscribere licet, quasi fundamentum ponit scriptor omnibus expositionibus, quae sequuntur, ita ut in his dici nihil debeat, quod non illius libri praecepta quasi normam suam atque regulam sequatur.

Atque incipit liber prooemio quodam (c. I—VI) praecepta moralia continente, quibus civium vita temperanda sit. Adsunt etiam hic, quae sine dubitatione non possis legere, quae tamen a gravioribus difficultatibus libera omitto, quo explicatius de sequentibus possimus quaerere. Haereo enim iam in ipso sequentis capitis initio: ubi, cum peracto prooemio scriptor se ipsam legum adumbrationem adgredi dixerit, haec verba sequuntur:

καθάπερ οὖν δή τινα ξυνυφὴν ἢ καὶ πλέγμ' ἄλλ' ὁτιοῦν, οὐκ ἐκ τῶν αὐτῶν οἷόντ' ἐστὶ τήν τε ἐφυφὴν καὶ τὸν στήμονα ἀπεργάζεσθαι, διαφέρειν δ' ἀναγκαῖον τὸ τῶν στη-

μόνων πρὸς ἀρετὴν γένος· ἰσχυρόν τε γάρ καί τινα βεβαιότητα ἐν τοῖς τρόποις εἰληφός, τὸ δὲ μαλακώτερον καὶ ἐπιεικείᾳ τινὶ δικαίᾳ χρώμενον· ὅθεν δὴ τοὺς μεγάλας [sic Par A et *γρ. Ω, τοὺς τὰς ἀρχὰς Ω* vf et Voss. x] *ἀρχὰς ἐν ταῖς πόλεσιν ἄρξοντας δεῖ διακρίνεσθαί τινα τρόπον ταύτῃ καὶ τοὺς σμικρᾷ παιδείᾳ βασανισθέντας ἑκάστοτε κατὰ λόγον· ἐστὸν γὰρ δὴ δύο πολιτείας εἴδη, τὸ μὲν ἀρχῶν καταστάσεις ἑκάστοις, τὸ δὲ νόμοι ταῖς ἀρχαῖς ἀποδοθέντες.*

Quae verba non satis possum mirari cur omnes interpretes sicco pede transierint. Unus enim Zellerus (Platonische Studien p. 107) sensit perversam esse huius loci sententiam et contraria inter se duo haec membra *ὅθεν δὴ τοὺς μεγάλας ἀρχὰς — ἑκάστοτε κατὰ λόγον* et *ἐστὸν γὰρ δὴ δύο πολιτείας εἴδη — νόμοι ταῖς ἀρχαῖς ἀποδοθέντες.*

Acquievit tamen in imbecillitate scriptoris, qui similem quendam Politici locum male imitatus esset. Consilium igitur totius loci idem esse sumpsit, atque Astius et Stallbaumius, qui eum quasi facillimum intellectu ita interpretatus est (X, 2. p. 5.): „Nam sicuti in textura et stamine et subtemine opus est, ita civitatis constitutio postulat, ut et magistratus deligantur, penes quos sit rerum civilium potestas, et leges scribantur, secundum quas illi rem publicam gubernent et administrent.“ Quibus primum obiciendum est sententiam tam miram esse, ut accuratissimam flagitet explanationem; quam tamen frustra requires. Rationem enim perspicere non valeo, qua magistratus et leges illis datae ista comparatione possint componi. Deinde qui sic interpretantur, ut Stallbaumius, perperam sententiam graecam vertunt. Quaeritur enim, quales res dicantur velut stamen et subtemen inter se differre. Atque nego equidem hanc imaginem adplicari ad enuntiatum ultimum, quod est de magistratitus et legibus. Nam diversitas inest in eis, quae statim antea legebantur:

ὅθεν δὴ τοὺς μεγάλας ἀρχὰς ἐν ταῖς πόλεσιν ἄρξοντας

δεῖ διακρίνεσθαί τινα τρόπον ταύτῃ καὶ τοὺς σμικρᾷ παιδείᾳ βασανισθέντας ἑκάστοτε κατὰ λόγον.

hoc enim docet et verbum *διακρίνεσθαι* et Aristotelis testimonium, de quo statim disputabimus. Certe enim hoc non potest referri ad magistratuum legumque comparationem. Jam vero si quaerimus, quid his verbis quae modo attulimus exprimatur, si traditam lectionem sequimur, aliter verba accipi nequeunt, quam ita ut opponantur quasi diversi et summi magistratus et minores „qui parva eruditione probati sint". Sed aliter videtur Aristoteles [1]) haec verba intellexisse. Ille enim quin nostrum locum respexerit, non potest dubitari cum haec scriberet:

Ἐλλέλειπται δὲ τοῖς Νόμοις τούτοις καὶ τὰ περὶ τοὺς ἄρχοντας, ὅπως ἔσονται διαφέροντες τῶν ἀρχομένων· φησὶ γὰρ δεῖν, ὥσπερ ἐξ ἑτέρου τὸ στημόνιον ἐρίου γίνεται τῆς κρόκης, οὕτω καὶ τοὺς ἄρχοντας ἔχειν δεῖν πρὸς τοὺς ἀρχομένους.

Sed primum caveamus ne nimiam auctoritatem huic testimonio adtribuamus. Haec enim observatio Aristotelis duaeque aliae inter se non cohaerentes (quarum altera de rei familiaris termino civibus Platonicis concessae, altera de duobus eorum habitaculis est) ita insertae sunt disputationi eius de legibus Platonicis, ut interrumpant quodammodo continuum sermonem. Nam cum ita disputationem suam instituerit Aristoteles [2]), ut primum de principiis sive fundamento civitatis, (—1265ᵃ 28) deinde de possessione (—1265ᵇ 17), denique de administrandae rei publicae ratione ubere et perpetuo sermone loqueretur (1265ᵇ 26—1266ᵃ 30), tria illa monita non arte, sed quasi leviores adnotatiunculae videntur adiunctae esse. Accedit, quod ne altera quidem sententia accurate Platonis verba refert, qui (V 744ᵉ) quadruplum permittit civibus minimi

1) Pol. B VI p. 1265ᵇ 18.

2) B VI p. 1265 28.

peculii adquirere. Aristoteles autem *τῆς πάσης οὐσίας* quintuplum licere dicit. Denique potest ipse Aristoteles, cum haec scriberet, de summis et minoribus magistratibus cogitasse, si magnam auctoritatem respiciebat, quae senibus perfectae eruditionis quasi gubernatoribus totius rei publicae in fine libri duodecimi tribuitur. Quare nolim testimonio Aristotelico, quod in transcursu parumque accurate videtur scriptum esse, ita abutaris ut eo nisus deleas *μεγάλας*, quod optimo traditur codice, quo oppositionem similem nanciscaris. Accedit quod haec oppositio parum apta videtur consilio scriptoris, qui omnes cives eadem doctrina imbui iubet et omnibus civibus aditum paravit ad magistratus (nam de servis et peregrinis nemo hic cogitabit). Teneamus igitur agi hoc loco de ea distinctione, quam nos supra significavimus. Segregantur nimirum ei magistratus, qui peritia tantum atque calliditate quadam instructi munere suo fungantur eique qui vera absolutaque eruditione utantur. Atque latissime patere hanc inter *δόξαν ἀληθῆ* et *ἐπιστήμην* distinctionem in prioribus scriptis notum est. Hoc posteriore opere retinuit quidem scriptor priorem illam doctrinam, sed dignum est quod advertas animum, quam anxie verba hac de re facere evitaverit. In toto enim sexto libro, qui est de magistratibus ne verbo quidem tangitur. Semel primo libro commemoratur I, 632^{c} (*κατιδὼν δὲ ὁ θεὶς τοὺς νόμους ἅπασι τούτοις φύλακας ἐπιστήσει, τοὺς μὲν διὰ φρονήσεως, τοὺς δὲ δι' ἀληθοῦς δόξης ἰόντας*). Iterum adest quidem haec doctrina in fine operis (in altera libri XII parte), sed ita etiam hic proponitur, quasi verbis excuti et explanari nequeat. Iam vero de ipsius enuntiati forma dubio mihi atque haerenti verum indicavit Buechelerus Nimirum scribendum est: *σμικρὰς* pro *σμικρᾷ*. Itaque sententia ita fere reddenda erit:

Velut in omni textura subtemen et stamen non ex eadem debent materia esse confecta, sed stamen necesse est virtute praecellat (ita ut haec verba per se posita

sint nec cum sequentibus cohaereant); stamen enim firmum esse oportet, mollius, ut facilius cedat, subtemen. Itaque maioribus minoribusque magistratibus qui fungantur homines discerni oportet adhibita eruditionis trutina, ita ut quotiescunque creandi sint, pro parte eruditionis creentur.

Sed totam hanc periodum inepte verbis *καθάπερ οὖν δὴ* primo capitis enuntiato subiungi nemo non sentiet. Atque etiam verba quae sequuntur:

ἐστὸν γὰρ δὴ δύο πολιτείας εἴδη, τὸ μὲν ἀρχῶν καταστάσεις ἑκάστοις, τὸ δὲ νόμοι ταῖς ἀρχαῖς ἀποδοθέντες permirum est visa esse editoribus cohaerere cum priore membro. An inest in duobus his administrandae civitatis generibus caussa (*γὰρ*), cur differre inter se dicantur maiores et minores magistratus? Minime, opinor, sed omissa priore disputatione novam haec verba inducunt, quae ipsa quoque statim abrupta, initio demum libri sexti denuo iisdem verbis excipitur, ita tamen ut prorsus nova proferre hic scriptor videatur nec ullo verbo hunc nostrum locum respiciat: 751[a] *Ἀθ. ἀλλὰ μὴν μετά γε πάντα τὰ νῦν εἰρημένα σχεδὸν ἂν ἀρχῶν εἶέν σοι καταστάσεις τῇ πόλει. Κλ. ἔχει γὰρ οὖν οὕτως. Ἀθ. Δύο εἴδη ταῦτα περὶ πολιτείας κόσμον γιγνόμενα*[1]) *τυγχάνει, πρῶτον μὲν καταστάσεις ἀρχῶν τε καὶ ἀρξόντων, ὅσας τε αὐτὰς εἶναι δεῖ καὶ τρόπον ὅντινα καθισταμένας· ἔπειτα οὕτω δὴ τοὺς νόμους ταῖς ἀρχαῖς ἑκάσταις ἀποδοτέον, οὕστινάς τε αὖ καὶ ὅσους καὶ οἵους προσῆκον ἂν ἑκάσταις εἴη.* — Vides haec eadem esse sed explicatiora et rectius expressa. Optime enim magistratuum institutio et legum latio duo dicuntur rei publicae administrandae modi (*δύο εἴδη περὶ πολιτείας κόσμον γιγνόμενα*). Contra parum perspicua quae illo loco occurrant genera civitatis (*εἴδη πολιτείας*).

Habemus igitur in libro quinto particulam quandam disputationis de maioribus minoribusque magistratibus,

---

1) *γιγνόμενον* A teste Bekkero.

quae cur tam abrupte hoc loco posita sit, causa non subpeditatur eis quae sequuntur. Deinde imperfectae illius expositionis continuationem in reliquo opere frustra quaeres. Contra continuationem habet frustulum illud *ἐστὸν γὰρ δὴ δύο πολιτείας εἴδη* e. q. s. hoc loco plane inepte iacens; continuatur enim libro uno intermisso ita ut nostrum ibi locum scriptorem plane oblitum esse certum sit. Amplius igitur non haesitabimus, quin novissima haec verba editori tribuamus perpolienti, qui orationis perpetuitatem turbatam sive potius imperfectam invenerat necdum ab ipso auctore constitutam.

Transeamus ad reliquam capitis partem. In qua Atheniensis contendit instituendas esse in civitatibus purgationes quasdam, quibus pravi cives removeantur ne bonos contagione corrumpant. Quorum *καθαρμῶν* duo constituit esse genera, alterum violentum, alterum mite. Atque meliorem quidem esse severiorem illam purgationem quae summis suppliciis utatur, tyranno autem tantum adhibere eam licere. Legislatorem qui careat regia illa potestate contentum esse debere, si deducendis coloniis urbem ab hominibus perditis liberet. Huius vero urbis conditoribus neutrum licere, qui hanc quasi ingentem aquae copiam undique confluentem studere debeant ut exhauriendo sive derivando quam maxime mundam reddant. Quoniam vero verbis tantum, non re agatur, fingamus, inquit, perfectum nobis esse delectum factamque purgationem (*τὰ δ' ἐπείπερ λόγῳ γ' ἐστὶ τὰ νῦν ἀλλ' οὐκ ἔργῳ πραττόμενα, πεπεράνθω τε ἡμῖν ἡ ξυλλογὴ καὶ κατὰ νοῦν ἡ καθαρότης αὐτῆς ἔστω ξυμβεβηκυῖα.* 736[b]). Hoc tantum in fine capitis commendatur, ut boni potissimum homines adsciscantur ad hanc coloniam, depellantur quantum fieri possit mali.

Miraberis haec quoque me sollicitare, quae tibi videntur optime esse exposita. Tamen accuratius velim consilium examines, quo haec sint composita. Ipse haerebis. Atque primum nemo negabit optime scriptorem progredi ita: „neces-

sarium est purgationes fieri in cuiusvis civitatis initio, quae duplici ratione et mitiore et severiore possunt institui. Neutra vero in singulari hac nostra urbe ex diversissimis gentibus orta adhiberi potest. — Ceterum non est obliviscendum in hac nostra calamitate hoc tamen optime accidere, quod aliena sunt ab hac civitate omnia pericula, quae ex paupertate hominum oriri solent".

Suo certe iure ita ratiocinatur scriptor. Iam vero eosdem — ni fallor — homines purgationibus suis et severa illa et mitiore removendos esse constituit philosophus. Scio in excutiendo *ἀλγεινῷ τρόπῳ καθάρσεως* 735[e] nefarios in universum homines notari: *τοὺς γὰρ μέγιστα ἐξημαρτηκότας, ἀνιάτους δὲ ὄντας, μεγίστην δὲ οὖσαν βλάβην πόλεως*. Tamen his verbis non eos significat „qui commiserunt scelera". Illi enim non solum in tyrannica sed in quavis civitate, in qua leges valent, morte vel exilio puniuntur (*θάνατον ἢ φυγὴν τῇ τιμωρίᾳ τὸ τέλος ἐπιτιθείς*). Eos nimirum dicit, qui propter aliquam causam proni sint ad nequitiam. Indicant vero hanc causam verba 735[e] *ὅσοι διὰ τὴν τῆς τροφῆς ἀπορίαν τοῖς ἡγεμόσιν ἐπὶ τὰ τῶν ἐχόντων μὴ ἔχοντες ἑτοίμους αὑτοὺς ἐνδείκνυνται παρεσκευακότες ἕπεσθαι, τούτοις ὡς νοσήματι πόλεως ἐμπεφυκότι δι' εὐφημίας ἀπαλλαγὴν ὄνομα ἀποικίαν τιθέμενος εὐμενῶς ὅ τι μάλιστα ἐξεπέμψατο.* (cfr. *μεγίστην δὲ οὖσαν βλάβην πόλεως*). Igitur quidquid hoc capite de purgationibus dictum est, de eis potissimum hominibus valet qui propter penuriam propensi sunt ad scelera. Quod postquam priore parte generaliter disputatum est, adplicatur posteriore ad coloniam hanc Cretensem, in qua non quidem vi sed persuadendo constituit philosophus tales homines esse removendos.

Qua re valde inexpectatum sequitur caput VIII, quo multus est philosophus in praedicanda bona illa fortuna, per quam libera sit res publica sua ab omni periculo in possessionis diversitate posito.

Sed haec subnotasse satis habeo. Scio certi nil effici his ratiocinationibus. In eo tamen consenties mecum, offendere talia in opere perfecto ab ipso auctore. Non offendent si certum erit, quod probaturi sumus, haec omnia ita scripsisse Platonem ut speraret aliquando se ea rimaturum esse et perpoliturum, cum secundis curis totum opus retractaret.

Videamus nunc quid de constituenda urbe scriptor porro decreverit. Atque in disponendis disputationis suae partibus agnoscamus necesse est summam philosophi sapientiam. Nam verbis primum de purgatione colonorum factis, bene exponit quam fauste urbi novae contigerit, ut aequali agrorum distributione omnia discidia, quae ex possessionis diversitate oriri soleant, statim ab initio possint profligari. Caveant igitur conditores urbis ne talem fortunam neglegant. Tum ad ipsam agrorum civiumque distributionem (737[c]) accedit. Sed accuratiore destitutus condendae terrae cognitione numerum fingit qui sibi aptissimus videatur. Sumit igitur quinque milia et quadraginta cives esse debere agrosque, de cuius numeri utilitate in fine capitis breviter quaedam praemonentur.

Qua re hoc capite omnia optime se habent. Statim vero in perplexa rursus atque desperata incidimus. Quod enim sequitur monstrum periodi permiror Astium neglexisse, Stallbaumium vero sine ulla dubitatione ad verbum vertisse 738[b]:

ταῦτα μὲν οὖν δὴ καὶ κατὰ σχολὴν δεῖ βεβαίως λαβεῖν, οἷς ἂν ὁ νόμος προστάττῃ λαμβάνειν· ἔχει γὰρ οὖν οὐκ ἄλλως ἢ ταύτῃ, δεῖ δὲ αὐτὰ ῥηθῆναι τῶν δ' ἕνεκα κατοικίζοντι πόλιν.

Stallbaum. pg. 53: „sed cum haec per otium firmiter percipienda et discenda sint omnibus a quibus ea tractari lex iusserit, sunt enim ea non aliter comparata; tum ei qui urbem condit propterea dicenda videntur, quod pendet exinde etiam sacrorum constitutio e. q. s.“ Sunt igitur,

quibus lex praecipiat (*οἷς ἂν ὁ νόμος προστάττῃ*), ut haec (numerumne illum, quem exempli gratia finxit scriptor?) per otium firmiter percipiant et discant! Et confirmatur mirum hoc praeceptum verbis: *ἔχει γὰρ οὖν οὐκ ἄλλως ἢ ταύτῃ.* Deinde vero cum tuo sane iure quaeras, cur haec ita iubeantur, responsum fit, quod spondeam te non exspectasse: quia necesse est, si urbem condimus, mordicus teneamus, quidquid de dis antiquitus traditum est! Desudavi, ut huius loci sensum assequerer. Non contigit. Gaudeo igitur Badhamo, viro acutissimo, idem accidisse, qui in epistula critica de legibus ad Thompsonum scripta, quam praeposuit editioni suae Convivii pg. XXII post *σχολὴν* unum saltem folium periisse statuit. „Supplendum inquit, retractabimus. Illa vero ad numerum *τῶν κλη-ρῶν* spectant . . . *δεῖ βεβαίως,* quae de diis dici videntur, quorum quemque suam partem accipere oporteat.“

Dubito vero num haec sufficiat Badhami explicatio. Nam sequentia quoque tot tantisque laborant incommodis, ut hoc ipso capite luculentissima mihi videar compagis aliena manu factae vestigia deprehendisse. Atque de expositione 738^{c-e}, quae est de deorum veneratione, posthac videbimus. Propero ad 739^{a}, unde in viam revertitur scriptor. Ita enim pergit: *ἡ δὴ τὸ*[1]) *μετὰ τοῦτο φορά, καθάπερ πεττῶν ἀφ' ἱεροῦ, τῆς τῶν νόμων κατασκευῆς ἀήθης οὖσα τάχ' ἂν θαυμάσαι τὸν ἀκούοντα τὸ πρῶτον ποιήσειεν · οὐ μὴν ἀλλ' ἀναλογιζομένῳ καὶ πειρωμένῳ φανεῖται δευτέρως ἂν πόλις οἰκεῖσθαι πρὸς τὸ βέλτιστον.* Igitur miraturos esse dicit auditores id quod quasi novum et inexpectatum moniturus sit de condenda urbe et ita insolitum velut iactus in tesseris *ἀφ' ἱεροῦ*; sed accuratius inspicienti et experimentum facienti secundo loco fore ut urbs videatur condi *πρὸς τὸ βέλτιστον* („comparata optima civitate“). Tres enim proponendae ei videntur civitatum formae, quarum

---

1) *τὸ* om. pr. A.

prima in qua omnium bona communia sunt optima quidem est, sed deis tantum deorumque filiis apta (739^{c-e}); altera quam hoc opere persequitur formanda quidem est secundum illius exemplum ita tamen, ut terra *διανοίᾳ* tantum omnibus communis sit, re vera inter singulos distributa (740^{a}). Tertiae denique minimique pretii civitatis explanationem in posterum differt (739^{e} *τρίτην δὲ μετὰ ταῦτα, ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, διαπερανούμεθα*).

Iam vero accuratissime assequamur oportet scriptoris consilium. Novi aliquid atque insoliti verbis induci dicit *ἡ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο φορά.* Atque positum est hoc novum in eo, ut re vera in condenda hac civitate terrae distributio instituatur. Attendas igitur quam diversa ratione pg. 737^{e} et 740^{d} de *διανομῇ* dicatur. Priori enim loco quae discutiebatur *διανομὴ* nemini videbatur res insolita atque inexpectata. Potest enim haec atque debet quodammodo esse etiam in optima civitate, in qua *κοινὰ τὰ τῶν φίλων.* Nam nequeunt omnes cives in omni semper agro sedere. Expressis autem verbis pg. demum 739^{e} distribuuntur cives per agros separatim possidendos. *νειμάσθων μὲν δὴ πρῶτον γῆν τε καὶ οἰκίας, καὶ μὴ κοινῇ γεωργούντων, ἐπειδὴ τὸ τοιοῦτον μεῖζον ἢ κατὰ τὴν νῦν γένεσιν καὶ τροφὴν καὶ παίδευσιν εἴρηται.*

Haec si mecum reputaveris, puto etiam te aliquid desideraturum, si cum legeris antecedentia plane aliena ab hac expositione, subito ad haec verba deveneris *ἡ δὴ τὸ μετὰ τοῦτο φορά* e. q. s. Nam aegre feres te quid sit insolitum illud atque novum praeceptum in fine demum sequentis paginae comperire. Verba enim *οὐ μὴν ἀλλ᾽ ἀναλογιζομένῳ καὶ πειρωμένῳ φανεῖται δευτέρως ἂν πόλις οἰκεῖσθαι πρὸς τὸ βέλτιστον* non possunt intellegi a lectore, qui nesciat de qua re agatur. Postulat igitur perpetuitas contextus, ut si legamus haec verba, sciamus ea fieri de *διανομῇ.* Quod eo magis poscemus, quo minus cohaerent quae antecedunt cum sequentibus.

Nam quae nostro praeposita leguntur loco de deorum veneratione monita, ea molestissime orationis continuitatem turbare concedes si attenderis, quo ordine sequentem scriptor instituerit disputationem. Cum enim statuerit distribuendos esse agros, hoc tamen monet strenue observandum esse, ut idem semper agrorum numerus maneat (740[b]—741[c]). Quocum artissime cohaerent duo quae sequuntur praecepta, prius (cp. XII) ne cives argentum aurumque possideant (peculiare enim nummorum genus urbi suae statuit, cui in aliis oppidis nullum sit pretium); ex quo alterum (cp. XIII) necessario sequitur non licere civibus illiberali ac sordido mercennariorum quaestui operam dare. Sed quamvis philosophus etiam rem familiarem omnibus aequam facere cuperet, tamen ne externam huius coloniae condicionem neglegeret in quattuor classes cives secundum peculium distribuit ita tamen ut et infimi et summi *τιμήματος* certum quendam terminum constitueret, ultra quem progredi nemini liceret (744[b]--745[a]). Quibus praemonitis cp. XIV externa urbis species delineatur singulisque tribubus duodecim deorum numina praeesse constituitur. Denique quae cp. XV sequuntur optime ea totius libri conclusionem faciunt. Concedit enim philosophus etiam alterius huius civitatis praecepta severiora esse quam quae semper urbis conditores possint strenue sequi. His igitur esse ignoscendum, si interdum deflectant atque declinent ab eis quae legislator statuerit, dummodo semper ad exemplum eorum urbem conforment. Item vero legislatori concedatur oportere, ut in adumbrando hoc urbis exemplari optimum tantum sequatur.

Vides haec omnia optime procedere. Unum excipio novissimum libri caput, quod obstat aperto scriptoris consilio. Sed de hoc posthac videbimus. Breviter sequentia percurramus. Nunc enim conditam urbem sequitur totius operis altera pars in qua primum de magistratuum constitutione, tum inde a 770[b] de legibus agitur. Atque ut

est hoc opere pius semper deorum cultor, peropportune in fronte *νομοθεσίας* praecepta occurrunt de deis eorumque festis diebus. Atque haec omnia si perpenderis quam sano sapientique ordine composita sint a scriptore, necesse est summa tibi oriatur de 738[c—e] suspicio, quae dici nequit quam stent hoc loco inepte. Nam priusquam *κατοίκισις πόλεως* facta est eiusque in partes distributio, non possunt deis adsignari singulae urbis partes idque fit cap. XIV. Deinde quid sibi volunt iam hic inter generalia haec de condenda urbe monita accuratiores de festis diebus explicationes? Expectamus eas, ubi revera adsunt eo demum loco quo legum latio incipit (p. 771). Sed hoc sine admonitione nostra quisque sentiet. Videas autem quae altero loco (771[a]) quasi nova consilio optimo continuoque sententiarum ordine explanantur, hoc nostro loco eisdem quidem fere verbis, sed frigide et paene abrupte proferri.

738[d]: *τοῖς δὲ μέρεσιν ἑκάστοις θεὸν ἢ δαίμονα ἢ καί τινα ἥρωα ἀποδοτέον, ἐν δὲ τῇ τῆς γῆς διανομῇ πρώτοις ἐξαίρετα τεμένη τε καὶ πάντα τὰ προσήκοντα ἀποδοτέον, ὅπως ἂν ξύλλογοι ἑκάστων τῶν μερῶν κατὰ χρόνους γιγνόμενοι τοὺς προσταχθέντας εἴς τε τὰς χρείας ἑκάστας εὐμάρειαν παρασκευάζωσι καὶ φιλοφρονῶνταί τε ἀλλήλους μετὰ θυσιῶν καὶ οἰκειῶνται καὶ γνωρίζωσιν, οὗ μεῖζον οὐδὲν πόλει ἀγαθὸν ἢ γνωρίμους αὐτοὺς αὑτοῖς εἶναι. ὅπου γὰρ μὴ φῶς ἀλλήλοις ἐστὶν ἀλλήλων ἐν τοῖς τρόποις ἀλλὰ σκότος, οὔτ' ἂν*	771[c]: *πιστεύσαντες δὴ τὰ νῦν τῇ παρούσῃ φήμῃ καὶ λόγῳ νείμωμέν τε ταύτην, καὶ ἑκάστῃ μοίρᾳ θεὸν ἢ θεῶν παῖδα ἐπιφημίσαντες, βωμούς τε καὶ τὰ τούτοις προσήκοντα ἀποδόντες, θυσιῶν πέρι ξυνόδους ἐπ' αὐτοῖς ποιώμεθα δύο τοῦ μηνός, δώδεκα μὲν τῇ τῆς φυλῆς διανομῇ, δώδεκα δὲ αὐτῷ τῷ τῆς πόλεως διαμερισμῷ, θεῶν μὲν δὴ πρῶτον χάριτος ἕνεκα καὶ τῶν περὶ θεούς, δεύτερον δὲ ἡμῶν αὐτῶν οἰκειότητός τε πέρι καὶ γνωρίσεως ἀλλήλων, ὡς φαῖμεν ἄν, καὶ ὁμιλίας ἕνεκα πάσης. πρὸς γὰρ δὴ τὴν τῶν γάμων κοι-*

τιμῆς τῆς ἀξίας οὔτ' ἀρχῶν οὔτε δίκης ποτέ τις ἂν τῆς προςηκούσης ὀρθῶς τυγχάνοι· δεῖ δὴ πάντα ἄνδρα ἓν πρὸς ἓν τοῦτο σπεύδειν ἐν πάσαις πόλεσιν, ὅπως μήτε αὐτὸς κίβδηλός ποτε φανεῖται ὁτῳοῦν, ἁπλοῦς δὲ καὶ ἀληθὴς ἀεὶ, μήτε ἄλλος τοιοῦτος ὢν αὐτὸν διαπατήσει.

νωνίαν καὶ ξύμμιξιν ἀναγκαίως ἔχει τὴν ἄγνοιαν ἐξαιρεῖν, παρ' ὧν τέ τις ἄγεται καὶ ἃ καὶ οἷς ἐκδίδωσι, περὶ παντὸς ποιούμενον ὅ τι μάλιστα τὸ μὴ σφάλλεσθαι μηδαμῶς ἐν τοῖς τοιούτοις κατὰ τὸ δυνατόν.

Hoc enim utroque loco contenditur, dies festos instituendos esse, ut cives invicem cognoscant et alterna eorum oriatur familiaritas. Quae cur ita statuantur altero quidem loco idonea statim subsequitur causa: ne cives propter mutuam ignorationem inepta ineant matrimonia. Quae autem nostro loco eandem sententiam statim subsequuntur verba *ὅπου γὰρ μὴ φῶς ἀλλήλοις — ὀρθῶς τυγχάνοι*, reddunt haec quidem aliquam festorum instituendorum causam sed eam longinque accersitam neque continuatam in sequentibus. Nam quod novissimo loco positum est praeceptum illud morale *δεῖ δὴ πάντα ἄνδρα ἓν πρὸς ἓν* e. q. s. cum prioribus nihil commune habet et prorsus languet. Accedit quod idem paullo ante multo explicatius suoque loco expositum est 730[c].

Aliud addo. Planum enim est *μέρη* illa quae 738[d] deis et geniis et heroibus assignantur non posse eadem *μέρη* esse de quibus 737[e] disputatum est. Nam singulis domibus deos noluit adtribuere Plato; cf. 909[d] *ἱερὰ μηδὲ εἷς ἐν ἰδίαις οἰκίαις ἐκτήσθω.* Respiciuntur maiores civitatis partes, quae tamen cpte demum XIV delineantur.

Denique non sunt Platonica, quae verbis *οὔτ' ἂν καινὴν — οὐδὲν κινητέον* 738[b, c] (pg. 21 locum exscribam) iubentur. Nam est quidem religiosus Plato in legibus, sed eum non potuisse ad superstitionem tam ineptam delabi sumerem, si probari nequiret. Atque verum est magnum

esse in legum civitate deorum numerum et Olympiorum et inferorum geniorum heroum. Sed nusquam praeter hunc unum locum contenditur omnem superstitionem sine ulla exceptione tenendam esse et colendam legislatori. Immo quotiens de his rebus disserit, expressis verbis praecipit, ut tales res certis legibus circumscribantur et regantur. De quo copiosus est 772^{a-d} et 828^{a} sq. (cf. 717^{a-b}). Porro quotiens de adeundo oraculo loquitur, Delphi tantummodo commemorantur: sunt autem hi loci $759^{c, d}$ 828^{a} 865^{b} 914^{a} 947^{d}. Eodem pertinet quod cautissimus est in adhibendis haruspicibus sive auguribus 908^{d} 913^{b}, item in admittendis privatis mysteriis 908^{d}. Denique velim perlegas quod in fine libri X (909^{d} et q. sq.) de vetandis privatis sacris disputat, ubi multus est in vituperanda aegrotorum et mulierum superstitione, ut mecum consentias et haec et illa non potuisse scribi ab eodem.

Quae si computaveris, in meam fortasse concedes sententiam totum locum non esse Platonicum. Puto autem hic nobis contigisse, ut veram editoris non modo perpolientis sed satis violenter interpolantis manum deprehenderemus. Conferas enim duos hos locos:

Legg. 738^{b}: *οὔτ' ἂν καινὴν ἐξ ἀρχῆς τις ποιῇ οὔτ' ἂν παλαιὰν διεφθαρμένην ἐπισκευάζηται, περὶ θεῶν γε καὶ ἱερῶν, ἅττα τε ἐν τῇ πόλει ἑκάστοις ἱδρῦσθαι δεῖ καὶ ὧντινων ἐπονομάζεσθαι θεῶν*	Epinom. 985^{c}: *τούτων δὴ τῶν πέντε ὄντως ὄντων ζῴων, ὅπῃ τινὲς ἐνέτυχον ἡμῶν, ἢ καθ' ὕπνον ἐν ὀνειροπολίᾳ προστυχόντες, ἢ κατὰ φήμας τε καὶ μαντείας λεχθέν*[1]) *τισιν ἐν ἀκοαῖς ὑγιαί-*

1) Attendas velim haec expressis fere verbis adversari eis quae X 909^{e} Plato in mulieribus aegrotisque vituperaverat: *ἔθος γυναιξὶ . . καὶ τοῖς ἀσθενοῦσι . . . καθιεροῦν τε τὸ παρὸν ἀεὶ καὶ θυσίας εὔχεσθαι καὶ ἱδρύσεις ὑπισχνεῖσθαι θεοῖς καὶ δαίμοσι καὶ παισὶ θεῶν, ἔν τε φάσμασιν ἐγρηγορότας διὰ φόβους καὶ ἐν ὀνείροις, ὡς δ' αὔτως ὄψεις πολλὰς ἀπομνημονεύοντας . .*

ἢ δαιμόνων, οὐδεὶς ἐπιχειρήσει κινεῖν νοῦν ἔχων ὅσα ἐκ Δελφῶν ἢ Δωδώνης ἢ παρ' Ἄμμωνος ἤ τινες ἔπεισαν παλαιοὶ λόγοι ὁπηδή τινας πείσαντες φασμάτων γενομένων ἢ ἐπιπνοίας λεχθείσης θεῶν, πείσαντες δὲ θυσίας τελεταῖς ξυμμίκτους κατεστήσαντο εἴτε αὐτόθεν ἐπιχωρίους εἴτ' οὖν Τυῤῥηνικὰς εἴτε Κυπρίας εἴτ' ἄλλοθεν ὁθενοῦν, καθιέρωσαν δὲ τοῖς τοιούτοις λόγοις φήμας τε καὶ ἀγάλματα καὶ βωμοὺς καὶ ναούς, τεμένη τε τούτων ἑκάστοις ἐτεμένισαν· τούτων νομοθέτῃ τὸ σμικρότατον ἁπάντων οὐδὲν κινητέον.

νουσιν ἢ καὶ κάμνουσιν, ἢ καὶ τελευτῇ βίου προςτυχέσι γενομένοις, ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ δόξας παραγενομένας, ὅθεν ἱερὰ πολλὰ πολλῶν γέγονε, τὰ δὲ γενήσεται, τούτων πάντων νομοθέτης, ὅστις νοῦν κέκτηται καὶ τὸν βραχύτατον, οὔποτε μὴ τολμήσῃ καινοτομῶν ἐπὶ θεοσέβειαν, ἥτις μὴ σαφὲς ἔχει τι, τρέψαι πόλιν ἑαυτοῦ· καὶ μὴν οὐδ' ὧν ὁ πάτριος νόμος εἴρηκε περὶ θυσιῶν ἀποκωλύσει . .

Quibus duobus locis, ut consilium idem esse haud dubie concedes, ita eandem quoque vix poteris non agnoscere manum [1]).

Jam vero spero fore unusquisque ut intellegat non librariorum incuria mendisque codicum caput nonum esse turbatum emendarique posse sagacitate coniectantis, sed vitia fluxisse ex ipsa libri origine. Scilicet continet caput hoc fragmenta Platonica compluria male ea composita mixtaque suis ab editore; frustraque conaberis sermonem verum Platonicum restituere ad integrum.

Promiseram etiam de capite XVI me esse acturum.

---

1) Haec scripseram, cum me monuit Usenerus, eundem interpolatorem colo hoc *ταυτὰ δ' ἔχειν διανοήματα καὶ περὶ τοὺς ἐγχωρίους θεούς τε ἅμα καὶ δαίμονας,* (740^{a}) curasse, lectorem ut scriptor ipse ad locum illum superstitiosum 738^{b-e} remittere eaque praecepta quasi sancire videretur.

Brevis de eo ero. Qui enim negat Platonem in disponendis his libris certum — ut supra significavimus — atque scitum ordinem secutum esse, is tria haec disputationis membra sine scrupulo leget. Qui vero de ratione disponendae orationis mecum consentit, posse haec Platonis esse tenebit quidem, negabit huic loco ab eo destinata fuisse. Et de priore quidem particula, in qua agitur de numero illo primario ad condendas civitates aptissimo, nihil habeo quod addam. Neque de altera (747^{a-d}) quidquam contendere volo, quamquam causam frustra requires cur Plato copiosis illis libri VII (pg. 818 sq.) de eruditione mathematica disceptationibus parum contentus hunc quoque peculiarem scripserit commentariolum. Tertia vero etiam alia de causa suspecta. Ea enim hic referuntur, quae respicienda sint terram coloniae eligentibus. Itaque nescire videtur qui haec scripsit iam ab initio huic coloniae certum suum locum esse destinatum. Cuius loci in libri quarti initio praecesserat iam accuratissima descriptio. Atque haec cum ita sint commendabitur fortasse aliquatenus verbis infra adscriptis [1]) ut suspicemur hanc quoque particulam profectam esse a manu eadem cui 738^b tribuimus. Sed haec me non premere scias.

Iam vero finem habeto disputatio nostra de libro quinto. Atque hoc velim mihi concedatur etiam in medio legum opere apertiora esse, quam ad hunc diem videbantur, Philippi Opuntii vestigia.

Iam vero relinquamus hanc inquirendi rationem. Neque enim per temporis spatium neque per fines huic li-

1) *τούτων δ' αὖ πάντων μέγιστον διαφέροιεν ἂν τόποι χώρας, ἐν οἷς θεία τις ἐπίπνοια καὶ δαιμόνων λήξεις εἶεν, τοὺς ἀεὶ κατοικιζομένους ἵλεῳ δεχόμενοι καὶ τοὐναντίον· οἷς ὅ γε νοῦν ἔχων νομοθέτης ἐπισκηψάμενος, ὡς ἄνθρωπον οἱόντ' ἐστι σκοπεῖν τὰ τοιαῦτα, οὕτω πειρῷτ' ἂν τιθέναι τοὺς νόμους.* (747^e.)

bello concessos singulas deinceps paginas totius operis licet perscrutari, ut interpretando Platonem discernamus et Philippum. Placet igitur ex amplo insequentium conexu unam quasi materiam solutam et per se positam examinare, num strenue atque constanter a scriptore excogitata sit et explicata. Eligamus igitur rem iudiciariam, quae inde a libro sexto per omnes sequentes libros passim explanatur.

Quare separatim primum dicendum erit de libri VI capite XIII, quod interpretibus optime videbatur compositum esse. Unus Astius persentiscebat inesse aliquam offensam in initio, cum haec scriberet (p. 306): „Ceterum totus hic locus a verbis *πᾶσα δὲ δήπου πόλις* ad *τῇ δίκῃ* cum praegressis, ubi de magistratuum creatione exponitur, non bene cohaeret. Scilicet obscurata quodam modo est orationis continuatio eo, quod scriptor in universum de iudiciis loqui incipit. Ita vero quae sequuntur praegressis subiici debebant: »Denique etiam, quomodo iudices, quos pro magistratibus quodam modo habere possumus, creari oporteat, exponendum est«."

Rectum vidit homo oculatissimus, sed in penitiora non penetravit. Haec enim res est. Cum de m a g i s t r a t i b u s in hac operis parte agatur, mirum est subito i u d i c e s occurrere. Qui cur hoc loco describantur et nos causam postulamus et Plato postulandum esse sciebat cum haec scriberet (767[a]): *τρόπον δή τινα καὶ τῶν δικαστηρίων αἱ καταστάσεις ἀρχόντων εἰσὶν αἱρέσεις· πάντα μὲν γὰρ ἄρχοντα ἀναγκαῖον καὶ δικαστὴν εἶναί τινων, δικαστὴς δὲ οὐκ ἄρχων καί τινα τρόπον ἄρχων οὐ πάνυ φαῦλος γίγνεται τὴν τόθ' ἡμέραν, ᾗπερ ἂν κρίνων τὴν δίκην ἀποτελῇ· θέντες δὴ καὶ τοὺς δικαστὰς ὡς ἄρχοντας λέγωμεν, τίνες ἂν εἶεν πρέποντες καὶ τίνων ἄρα δικασταὶ καὶ πόσοι ἐφ' ἕκαστον.* Quae verba initio disputationis aptissima absonum est medio capiti inseri, postquam per duas non minus paragraphos de iudiciis disputatum est. Accedit quod haec verba speciem prae se ferunt clarissimam proferri hic prorsus nova et

quae antea nondum fuerint delineata. Atque hoc concedes, opinor. In sequentibus sane non deest locus qui aliquo iure possit obici. Verbis enim *κοινὸν ἅπασι τοῖς τὸ τρίτον ἀμφισβητοῦσιν ἰδιώταις πρός ἀλλήλους* (767[c]) possunt respici priora illa: *ἐὰν δ' ἄρα μὴ ἐν τούτοις τις ἱκανὴν κρίσιν λαμβάνῃ, πρὸς ἄλλο δικαστήριον ἴτω· τὸ δὲ τρίτον, ἂν τὰ δύο δικαστήρια μὴ δύνηται διαλλάξαι, τέλος ἐπιθέτω τῇ δίκῃ* (767[a]). Neque premam etiam alterius expositionis verba sola et per se posita tacite quidem, sed clare significare, alterum aliquod iudicium ante tertium debere adiri, et statim succedere *δικάζειν μὲν τοῖς τἆλλα δικαστήρια φυγοῦσιν* (767[d]). Condonem obloquenti propter verba *τοῖς τὸ τρίτον ἀμφισβητοῦσιν* flagitari, ut aliqua trium iudiciorum enumeratio praecesserit. Nihilominus ea quae hoc loco praemittitur adumbratio iudiciorum ita conformata est, ut superesset offensa non dubia. Postulandum est enim, ut eodem ordine eademque ratione et indicentur et exponantur iudicia. Tamen et ordine et ratione differunt duae huius capitis disputationes. Nam priore loco enumerantur quasi eiusdem generis tria tribunalia privata; publica vero ne uno quidem verbo commemorantur. Altero opponuntur primum diaetetarum iudiciis reliqua iudicia; deinde haec dividuntur in privata et publica; atque in fine demum totius expositionis ad primarium iudicium selectorum iudicum accedunt subiecta, quasi huc pertinerent, tribulium tribunalia „ut etiam privatarum causarum populus particeps fiat quam maxime" (768[b]).

Vides duas has expositiones eo consilio scribi non potuisse, ut altera alteram praepararet. Iam sicut causam frustra circumspicimus, cur idem hoc loco bis dicatur, ita etiam turbata est quodammodo aequabilitas contextus. Qui enim priore iudiciorum partitione praeoccupatus ad verba accedit *δύο δὴ τῶν λοιπῶν ἔστω κριτήρια* e. q. s. (767[b]), is necessario in errorem abripitur, ut haec verba de reliquis duobus privatis iudiciis dicta esse opinetur.

Negleximus adhuc prima capitis verba. Tantummodo quam male nexa sint cum prioribus obiter monuimus. Sed id quoque attendas, quam mire in legum iudicialium initio disputatio incohetur de iudicum dicendi facultate (766[d]: *ἄφωνος δ' αὖ δικαστὴς ἡμῖν καὶ μὴ πλείω τῶν ἀντιδίκων ἐν ταῖς ἀνακρίσεσι φθεγγόμενος, καθάπερ ἐν ταῖς διαίταις, οὐκ ἄν ποτε ἱκανὸς γένοιτο περὶ τὴν τῶν δικαίων κρίσιν*), priusquam sciamus quae sint iudicia. Incohari hanc disputationem dixi. Nam neque hoc loco, neque aliis duobus, quibus similia tanguntur, profligatur. Novissima enim huius membri verba *ὧν ἕνεκα οὔτε πολλοὺς ὄντας ῥᾴδιον εὖ δικάζειν οὔτε ὀλίγους φαύλους* non expediunt difficultatem, sed novam addunt. Pg. autem 876[b] hoc tantum dicitur, ea iudicia mala esse quae tacite et occulte suffragia ferant, peiora tamen quae velut theatra clamore omnia repleant. Neque vero huc referendum est, quod 949[b] rei iubentur *τὸ δίκαιον μετ' εὐφημίας διδάσκοντες καὶ μανθάνοντες ἀεὶ διατελεῖν*. Qua re in libro XII 957[b] quod pollicetur philosophus de silentio eiusque contrario in fine totius operis verba factum iri, de totius loci natura postea dicendum erit; de re ipsa eatenus certe assentiendum Hermanno (p. 708. ad. 733), quatenus promitti hoc loco dicit, quae non absolvantur postea.

Denique insolitam sententiam notaverim qua prior illa iudiciorum enumeratio inducitur. Nam cum 956[c—d] duris poenis caveatur, ne quis temere provocationis iure abutatur (quod optime congruit cum praecepto eo, quod in fronte legitur totius *νομοθεσίας* 743[d]: *εἶεν δὲ οὐκ ἄν ποτε πολῖται φίλοι, ὅπου πολλαὶ μὲν δίκαι ἐν ἀλλήλοις εἶεν, πολλαὶ δὲ ἀδικίαι, ἀλλ' ὅπου ὡς ὅτι σμικρόταται καὶ ὀλίγισται*), nostro loco non sine studio aliquo commendatur provocandi consuetudo, quippe quae utilissima sit ad verum indagandum.

Ex quibus omnibus certa vix poterunt colligi. Coniec-

turis vero nolumus indulgere, antea quam reliqua perlustraverimus.

Ita autem pergit scriptor, postquam publica selectorumque atque tribulium iudicia disposuit (768[c]): *Νῦν δὴ περὶ μὲν δικαστήρια ἡμῖν, ἃ δή φαμεν οὔθ' ὡς ἀρχὰς οὔθ' ὡς μὴ ῥᾴδιον εἰπόντα ἀναμφισβητήτως εἰρηκέναι, περὶ μὲν ταῦτα οἷον περιγραφή τις ἔξωθεν περιγεγραμμένη τὰ μὲν εἴρηκε, τὰ δὲ ἀπολείπει*[1]) *σχεδόν· πρὸς γὰρ τέλει νομοθεσίας ἡ δικῶν ἀκριβὴς νόμων θέσις ἅμα καὶ διαίρεσις ὀρθότατα γίγνοιτ' ἂν μακρῷ. ταύταις μὲν οὖν εἰρήσθω πρὸς τῷ τέλει περιμένειν ἡμᾶς, αἱ δὲ περὶ τὰς ἄλλας ἀρχὰς καταστάσεις σχεδὸν τὴν πλείστην εἰλήφασι νομοθεσίαν.* Offenderunt viri docti his verbis *πρὸς γὰρ τέλει νομοθεσίας ἡ δικῶν ἀκριβὴς νόμων θέσις . . . γίγνοιτο ἄν.* Atque Orellii *νομικῶν* non opus est refutari. Speciosius est, quod Ficini versione nisus commendavit iam Stephanus: *δικανικῶν νόμων*, quem Astius secutus est. Sed neglexerunt viri egregii verba insequentia: *ταύταις μὲν οὖν εἰρήσθω . . περιμένειν ἡμᾶς*, quae per se audacissime dicta plane absurda fiunt, si cogamur *ταύταις* ad *θέσις καὶ διαίρεσις* referre. At omnia recte se habent. Nescio enim cur haereamus in ea interpretatione quae est in promptu: „accurata latio atque dispositio earum legum quae sunt de actionibus". Neminem enim duplex genetivus offendet; cf. ut unum adferam exemplum 791[c] *εἰς ψυχῆς μόριον ἀρετῆς.*

Quonam vero referenda sunt haec verba? Non satis possum mirari, quod omnes interpretes consentire videntur promitti nostro loco leges iudiciales, quas sibi videbantur legisse in libro XII (956 sqq.). Sed plane diversa sunt, quae priore loco scriptor promittit et quae leguntur pg. 956. Nam in libro XII de iudicibus iudiciorumque conformatione agitur eisque, quae de hac re VI, cp. XIII dicta sunt perpauca adduntur et minuta. Neque vero *περὶ*

---

1) *ἀπολείποι* A, voss x.

δικαστηρίων, sed *περὶ δικῶν* promittit se sub finem operis dicturum esse: *ταύταις* (scil. *ταῖς δίκαις*) *μὲν οὖν εἰρήσθω πρὸς τῷ τέλει περιμένειν ἡμᾶς*. Qua re mihi quidem certissimum est, pertinere haec verba ad totam posteriorem operis partem quae est de actionibus inde a libro IX (si adsumis leges agrarias in fine libri VIII explanatas) usque ad finem *νομοθεσίας* [1]; eaque expressis verbis ita inducitur 853[a]: *Δίκαι δὴ τὰ μετὰ ταῦτα ἀκόλουθοι ταῖς ἔμπροσθεν πράξεσιν ἁπάσαις οὖσαι κατὰ φύσιν γίγνοιντο ἂν τὴν τῆς διακοσμήσεως τῶν νόμων. Ὥντινων οὖν δὴ πέρι δεῖ γίγνεσθαι δίκας, τὰ μὲν εἴρηται, τὰ* [2]) *κατὰ γεωργίας τε καὶ ὅσα τούτοις εἵπετο, τὰ δὲ μέγιστα οὔτε εἴρηταί πω, καθ' ἓν ἕκαστόν τε λεγόμενον* [3]), *ἣν δεῖ λαμβάνειν αὐτὸ τιμωρίαν καὶ τίνων ποτὲ δικαστῶν τυγχάνειν, μετ' ἐκεῖν' αὐτὰ ἑξῆς ταῦτα ῥητέον.*

Consilium autem quo alteram hanc totius operis partem, quae de legibus est inde a libro VI usque ad finem, in duas divideret particulas hoc fuit, ut primum communem humanae vitae habitum moresque hominum certis legibus de matrimonio de liberis procreandis educandis similibus moderaretur (—VIII, 842[d]), deinde vero eas quae ex concursu commercioque hominum nascuntur lites et controversias componeret.

Hoc igitur nobis esto positum non promitti loco tractato novam de iudiciis disputationem. Quaeritur igitur num res postulet, ut eis quae VI, 13 de iudiciis exposita sunt alia addantur. Necessarium vero non est, copiosius alio loco eandem rem exponi. Eam enim scriptor rationem sequitur, ut graviora tantum legislator senex delineet, minutiora autem iuveni — ut dicit — legislatori relinquantur.

---

1) Nam ad *δίκας* pertinent etiam *ξυμβόλαια* et quae ex eis oriuntur lites atque controversiae.

2) *τὰ* om A pr.

3) *λεγόμενον ῥηθέν* A. quod eicit Hermannus; Stallbaumius Winkelmannus: *διαρρήδην*.

Atque hoc inprimis in iudiciorum institutione valere, locupletissimus testis est locus 846[b], ubi verba *μυρία δὲ ταῦτα ὄντα καὶ σμικρὰ νόμιμα, καθ' ἃ δεῖ τὰς τιμωρίας γίγνεσθαι, λήξεών τε πέρι δικῶν καὶ προσκλήσεων καὶ κλητήρων, εἴτ' ἐπὶ δυεῖν εἴτ' ἐφ' ὁπόσων δεῖ καλεῖσθαι, καὶ πάντα ὁπόσα τοιαῦτά ἐστιν, οὔτ' ἀνομοθέτητα οἷόντε εἶναι γέροντός τε οὐκ ἄξια νομοθέτου, νομοθετούντων δ' αὐτὰ οἱ νέοι πρὸς τὰ τῶν πρόσθεν νομοθετήματα ἀπομιμούμενοι σμικρὰ πρὸς μεγάλα, καὶ τῆς ἀναγκαίας αὐτῶν χρείας ἐμπείρως ἴσχοντες, μέχριπερ ἂν πάντα ἱκανῶς δόξῃ κεῖσθαι· τότε δὲ ἀκίνητα ποιησάμενοι ζώντων τούτοις ἤδη χρώμενοι μέτρον ἔχουσι* quamvis singulari instituto adiuncta aperte tamen in universum disputata sunt.

Quid igitur iudicabimus de libri XII capite VIII? Nam negari non potest hoc ipso capite de iudiciis aliqua exponi, quae non insint in loco priore. Videndum est igitur primum, num forte posteriores hae disputationes se supplementa esse priorum fateantur. Sed prioris illius libri VI expositionis ne uno quidem verbo mentio fit. Contra enumeratione iudiciorum quae est in prima huius capitis parte videntur plane nova proferri. Obicies verba quae sunt in fronte capitis: *ὅτε δὲ μέρη διείρηται τῆς πόλεως ξυμπάσης . . . καὶ νόμοι περὶ τῶν ξυμβολαίων εἰς δύναμιν τῶν μεγίστων πέρι πάντων εἴρηνται, τὸ λοιπὸν δὴ δίκας ἂν εἴη χρεὼν γίγνεσθαι* optime respondere *δικῶν νόμων θέσει καὶ διαιρέσει*, quae libro VI promittebatur. Sed ineptissime hoc loco disputatio de actionibus quasi nova sit inducitur. De his enim res, ut dixi, libris prioribus ad finem perducta est, in sequentibus autem de litibus ne verbum quidem invenies. Sed fingamus, respici his verbis 768[c, d]: postularemus, si res ita esset, verbis *ὅτε δὲ μέρη* e. q. s., quae priores quasdam operis partes enumerant, e o r u m quasi capita breviter referri, quae i n t e r u t r u m q u e locum disputata sunt. Sed distributio urbis iam libro quinto facta erat.

Deinde attendas velim in toto altero capite nihil novi de iudiciis inesse praeterquam poenas de abusu provocationis et instituta quaedam de exsecutionibus. Atque haec duo monita num putas *ἀκριβῆ εἶναι δικῶν νόμων θέσιν*? Ipse sentis indigna esse haec duo praecepta, quae tam verbose praenuntientur. Immo permirum est separatim haec tractari.

Ex quibus omnibus hoc mihi videtur consectarium esse non posse duo haec capita certo quodam consilio ab eodem scripta esse ac conlocata. Sed is qui prius caput scripsit non cogitabat de altero, qui alterum composuit immemor erat prioris.

At libri fortasse duodecimi natura atque indoles causa fuit scriptori, ut iterum de iudiciis verba faceret? Consentiunt quidem viri docti de novissimorum duorum librorum rudi indispositaque natura. Ita omnem dispositionis ordinem desiderat Diltheyus (p. 49) eademque est Zelleri sententia (Pl. St. p. 67). Atque rem difficillimam, quae acuratissimam postulat inquisitionem nos paucis tantum et in transcursu possumus tangere. Iniquiores autem mihi videntur, qui sine ullo ordine hos libros contendant conscriptos esse. Nam ut in libro XI singulorum inter se civium officia describuntur, potest auctor in componendo libro XII hoc consilium secutus esse ut condicionem quorundam civium ordinum eorumque erga civitatem officia adumbraret, velut legatorum militum magistratuum eorum qui peregrinationes suscipiant. Nolo haec urgere, nam multa certe inrepserunt alienissima et quae cur hoc libro legantur dici nequit, velut statim in initio expositio de furto publico (de qua posthac accuratius disputabitur), de iure iurando (cp. V), totum denique caput VII, in quo sine ullo ordine de rebus diversissimis dicitur.

Sed id tantum efficere volui, hoc libro non modo non desiderari locum istum de iudiciis, sed omnino deesse causam cur hic occurreret. Atque vix opus erit

monstrare, initium capitis cum antecedentibus, quae sunt de deorum simulacris et de donis illis ferendis, nullo modo cohaerere.

Habemus igitur disputationem tam alienam a totius operis instituto, ut videatur quasi peculiaris commentarius ei inserta esse. Qui commentarius videamus nunc utrum unus sit an ipse quoque ex diversis membris conflatus. Constat autem hoc caput ex quinque particulis parum cohaerentibus inter se. Atque de prima non habeo quod addam (956^{b-d}).

Subsequitur autem altera quaedam satis mira (— 957^{a} .. *χρὴ νομοθέτην*). Sententia aut ego fallor aut imperfecta est. Nam si quis de aliqua re se iam disputasse dicit, attamen decere rectum (*τό γε ὀρθόν*) bis vel ter dicere, (— *εἴπομεν μὲν καὶ πρόσθεν, καλὸν δὲ τό γε ὀρθὸν καὶ δὶς καὶ τρίς*) promittit ille, si quid video, novam de eadem re disputationem. Nostro autem loco *τό γε ὀρθόν* aut in nuda nominum enumeratione positum est aut in sententia quae subsequitur: *πάντα δ' οὖν ὁπόσα σμικρὰ καὶ ῥᾴδια νόμιμα εὑρίσκειν, πρεσβύτου νομοθέτου παραλιπόντος τὸν νέον ἀναπληροῦν χρὴ νομοθέτην.*

Illud ineptum est; neque hoc accuratius inspicienti verum esse videbitur. Nam si verum esset, verbis *πάντα ὁπόσα σμικρὰ καὶ ῥᾴδια* continerentur res omnes illae supra enumeratae, de quibus disputatio promittitur. Quod igitur de his rebus praedicatur, nihil est, nisi parvas eas esse et faciles et relinquendas *νομοθέτῃ νέῳ*. Itaque quaerendum est num ex sententia Platonis res illae re vera parvae sint. Animum autem advertas, nominari inter eas etiam *διαψηφίσεις*. Has certum est ex pg. 855^{d} minime inter parvas haberi et relinquendas sed ad legislatorem seniorem pertinere (*εἰσαγωγὰς δὲ τούτων καὶ προσκλήσεις καὶ ὅσα τοιαῦτα καὶ ὡς δεῖ γίγνεσθαι, τοῖς νεωτέροις νομοθέταις χρὴ μέλειν· τὴν διαψήφισιν δὲ ἡμέτερον ἔργον νομοθετεῖν*). Itaque post *τό γε ὀρθὸν δὶς καὶ τρίς* desideratur

disputatio de eis, quae has inter res magni, quae parvi momenti sint.

Atque ad eandem conclusionem eo perducimur, quod multae etiam adsunt res in enumeratione illa, quas parvas esse nullo prorsus verbo indicatum antea fuit. Ubi enim scriptor de completionibus iudicum (*πληρώσεις*) de dilationibus (*ἀναβολαί*) de ordine actionum (*προτέρων καὶ ὑστέρων λήξεις*) de necessitate respondendi (*ἀποκρίσεων ἀνάγκαι*) de tempore quo lites instituendae sint (*χρόνοι ἐν οἷς ἕκαστα γίγνεσθαι χρεών*) de *παρακαταβάσεσιν* [1]) disputaverit, frustra in toto opere quaeres.

Itaque has res quasi parvas relinquendas esse iubere non antea Plato poterat, quam eas parvas esse „semel vel bis" significasset. Atque distributionem indicare videtur etiam vox *ὁπόσα*. Quod si recte disputatum est, iam intelleges cur addita sit particula *δὲ*, quae satis plane et ipsa indicat antea de rebus non parvis disputatum fuisse.

Sequuntur verba aliqua de publicis eisque iudiciis, per quae magistratus munere suo fungantur (*τὰ δὲ δημόσια καὶ κοινὰ καὶ ὅσοις ἀρχὰς δεῖ χρωμένας τὰ προσήκοντα ἑκάστῃ τῶν ἀρχῶν διοικεῖν*); quae negat hoc opere accuratius esse delineanda; facile enim legum custodes e reliquarum civitatum institutis huc pertinentibus optima posse eligere. Attamen publica iudicia satis accurate descripta extant pg. 768[a], nec desunt praecepta de iudiciis adeundis si qua causa magistratus potestatem excedat: 846[a] 847[b] 932[c] cf. etiam 761[e] et 762.

Dubitavi num alterius particulae finis integer esset. Initium quartae [2]) mihi suspicionem movit. *Πολλῶν* quidem

---

1) adstipulor enim de ignoti huius vocabuli interpretatione Astio et Stallbaumio. *Παρακαταστάσεων* enim sive *παρακαταβολῶν* consuetudinem Platoni non placuisse et silentio probatur, quo hoc premitur et eo, quod eam ad puniendum provocandi abusum non adhibuit.

2) Haec sunt verba: *ὅσα δὲ περί τε σιγὴν δικαστῶν καὶ εὐφη-*

iniuria Hermannus cancellis inclusit, „quod sine articulo aegre cum sequentibus coeat". Nam cum id potissimum vituperetur in reliquis civitatibus, quod non unam eandemque semper sequantur iusti bonique normam, sed quasi multitudo sit et varietas quaedam diversorum „bonorum" alia aliam sibi sumat boni iustique regulam (962^d: *θαυμαστὸν οὐδὲν πλανᾶσθαι τὰ τῶν πόλεων νόμιμα, ὅτι πρὸς ἄλλο ἄλλῃ βλέπει τῶν νομοθεσιῶν ἐν τῇ πόλει ἑκάστῃ*), ita haec accipienda videntur: „quae discrepant a nota illa multitudine quae est in reliquis urbibus bonorum". Vertendum est igitur *τὰ πολλὰ ἐν ταῖς πόλεσι δίκαια* non ita: „Das Meiste von dem, was gerecht ist in den Städten", sed „das vielfältige Gerechte in den Städten;" cf. Tim. 54^a *τιθέμεθα δ' οὖν τῶν πολλῶν τριγώνων κάλλιστον ἕν*: Phaedo 88^a *μὴ οὐ πονεῖν αὐτὴν (ψυχὴν) ἐν ταῖς πολλαῖς γένεσιν.* Sed de totius dubito enuntiati integritate. Duplici enim ratione partitio haec *τὰ μὲν εἴρηται τὰ δ' ἔτι πρὸς τῷ τέλει ῥηθήσεται* potest intellegi. Nam aut de utroque membro alia dicta esse, alia dictum iri contenditur, aut de priore disputatum esse, alterum restare ut discutiatur. Atque hanc rationem si sequimur, habemus quidem, quo referamus prius membrum *ὅσα δὲ περί τε σιγὴν* [1]) e. q. s. neque ambigemus, quo spectet membrum alterum (962^d). Sed mire tum neglectum est, quod in eadem quaestione fere toti versabantur tres primi libri et reliquo passim opere multa de ea exponuntur. Statuamus ergo de utroque membro valere partitionem. Tum vero frustra quidquam de silentio

---

μίας καὶ τοὐναντίον, καὶ ὅσα παραλλάττει τῶν πολλῶν ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι δικαίων καὶ ἀγαθῶν, τὰ μὲν εἴρηται, τὰ δ' ἔτι πρὸς τῷ τέλει ῥηθήσεται· πρὸς ἃ πάντα χρὴ τὸν μέλλοντα δικαστὴν ἴσον ἔσεσθαι κατὰ δίκην βλέπειν τε καὶ κεκτημένον γράμματα αὐτῶν πέρι μανθάνειν.

1) 766^d, 876^b; sed hoc tenendum proponi tantum leviterque perstringi his locis hanc quaestionem, nusquam vero plenam nos scriptoris de hac re sententiam comperire.

iudicum in fine operis quaeres dictum. De hoc igitur membro rectum vidit Hermannus.

Accedit alia difficultas in re ipsa posita. Admonentur enim iudices, ut scripta legislatoris firmiter animo teneant. Nimirum non possunt iudices secundum legislatoris consilium iudicare, nisi accurate perspexerint et diligentissime observent, quae ille de una virtute quasi fundamento civitatis monuerit (hac enim una virtute παραλλάττει civitas Platonica τῶν πολλῶν ἐν ταῖς ἄλλαις πόλεσι δικαίων καὶ ἀγαθῶν). Sed his generalibus praeceptis cur adiungatur monitum illud singulare atque minutum de silentio iudicum, causa nequit intellegi.

Quae cum ita sint, diversa videntur hic in unum coisse, ita ut post verbum τοὐναντίον lacunam statuamus oporteat, non tamen ortam eam incuria librariorum sed editoris manu imperfecta Platonis frustula male componentis.

Breviter nunc, quae de duobus his libri VI et XII capitibus nobis videamur effecisse, perlustremus. 1: Non promittitur VI, 13 nova περὶ δικαστηρίων disputatio. 2: Contrarium est consilio Platonis, ut libro XII denuo de iudiciis disseratur. 3: Utrumque caput neglecto altero scriptum est. 4: Alterum caput in ipso libro XII inexpectatum occurrit nec ullo modo cum vicinis cohaeret. 5: Conflatum est hoc caput ex compluribus frustulis, quorum duo manca videntur.

Hactenus vero cum liceret certa progredi via, anceps nunc et ambiguum sequitur officium, ut quid inde colligendum sit videamus. Itaque ut periculum faciamus coniectandi, res accidit fortasse sic. Consilium fuerat Platonis, ut descriptis (l. VI) magistratibus de iudiciis iudicibusque quae haberet proferret. Pauca tantum continuae libri IX δικῶν descriptioni reservavit noluitque alio loco iterum de his continuo disserere. Iam vero meminerimus etiam prius caput (cp. XIII libri VI) parum perpolitum nobis visum esse. Atque huc quoniam accedit quod de libri

duodecimi capite octavo disputavimus, non a re aliena videbitur coniectura mea, Platonem in libro VI multo uberius de iudiciis voluisse agere. Videbitur igitur editor (in errorem ductus fortasse per 768[c]) totum hoc alterum caput ex adnotationibus composuisse quas Plato ad VI, 13 adscripserat, ut si secundis curis totum opus pertractaret, haec omnia ad unam conformaret disputationem. Omnes autem alterius capitis partes olim priori alicui loco destinatas fuisse indicari videtur etiam initio capitis (*ὅτε δὲ μέρη διείρηνται τῆς πόλεως ξυμπάσης, ὅσα τε καὶ ἃ δεῖ γίγνεσθαι* . .) difficto certe mutiloque, cuius prima verba librum quintum respiciunt[1]).

Scio hoc esse ludere, et libenter has difficultates faciliore ratione expedienti cedam. Tamen abundare difficultatibus caput utrumque nemo sanus negabit. De eis autem, quas in capite priore esse vidi, pauca submoneam.

Primum desideramus verbum *ἐκλεκτοί*; quae summi iudicii significatio postea quasi tritum nomen et stabilitum occurrit: 946[d] *εἰς τοὺς ἐκλεκτοὺς δικαστὰς εἰσαγέτω τοὺς εὐθύνους* 948[a] *πρὸς δὲ τούτοις τὸ τῶν ἐκλεκτῶν δικαστήριον* 956[d] *ἀγέτω μὲν ἐπὶ τοὺς δικαστὰς τοὺς ἐκλεκτοὺς τὴν δίκην.*

Deinde moleste fero quod agronomorum et aedilium iudicia ne verbo quidem commemorantur, ita ut plane nesciamus, quae inter hoc iudicium et reliqua ratio intercedat. Sed gravius est, quod expositio de agronomorum iudiciis prorsus discrepat a capite XIII hac in re: legas enim locum hunc valde memorabilem (767[e]): *ἐὰν δέ τις ἐπαιτιᾶταί τινα ἑκόντα ἀδίκως κρῖναι τὴν δίκην, εἰς τοὺς νομοφύ-*

---

1) Sequentia vero verba: *καὶ νόμοι περὶ τῶν ξυμβολαίων εἰς δύναμιν τῶν μεγίστων πέρι πάντων εἴρηνται* cur ex multis totius operis titulis unum quasi decerpant, qui nec praecedit neque cum hoc capite sensu cohaeret, nequit intellegi. Videtur igitur etiam hic editor interpolator fuisse, qui huic loco fragmenta illa accomodaverit.

λακας ἰὼν κατηγορείτω· ὁ δὲ ὄφλων τὴν τοιαύτην δίκην ὑπεχέτω μὲν τοῦ βλάβους τῷ βλαφθέντι τὸ ἥμισυ τίνειν, ἐὰν δὲ μείζονος ἄξιος εἶναι δόξῃ ζημίας, προστιμᾶν τοὺς κρίναντας τὴν δίκην, ὅ τι χρὴ πρὸς τούτῳ [1]) παθεῖν αὐτὸν ἢ ἀποτίνειν τῷ κοινῷ καὶ τῷ τὴν δίκην δικασαμένῳ. Quod enim hic expressis verbis dicitur: iudicem etiam summi atque primi tribunalis a quovis accusari posse, cuicunque videatur sciens iniuste iudicasse, hoc primum per se inauditum est, praesertim cum lex ita conformata sit, ut etiam condemnato licere videretur, iudicem in ius vocare. Deinde ut neglegamus esse rem plane novam, cuique licere a singulis summi iudicii iudicibus rationes poscere earum sententiarum quas totum decrevit iudicium, aliquo si placet experimento repraesentemus miram hanc atque ridiculam causarum seriem: Existimet aliquis se iniuria a selectorum iudicio condemnatum esse. Ipse igitur iudicem aliquem selectorum in ius vocat. Multam dicunt nomophylaces. Displicuit autem hoc euthynis, quorum examini omnes magistratus obnoxii sunt (946[c]). Afficiuntur igitur poena ab his legum custodes. Neque vero in ea acquiescunt custodes, accusant euthynas — iudices erunt eidem, a quibus tota res exorta est — οἱ ἐκλεκτοὶ δικασταί.

Qua re esse aliquid absurdi in hoc instituto facile intelleges. Quod tamen, si offensa in re tantum insolita inesset, non premerem. Potest enim iudicium cogitari, cuius sententiae sacrosanctae, iudices vero ὑπεύθυνοι sint. Sed cum hoc nostro loco aperte doceamur, selectos iudices esse ὑπευθύνους, prorsus discrepant verba, quae leguntur 761[e]: δικαστὴν δὲ καὶ ἄρχοντα ἀνυπεύθυνον οὐδένα δικάζειν καὶ ἄρχειν δεῖ πλὴν τῶν τὸ τέλος ἐπιτιθέντων οἷον βασιλέων. Quae de iudicibus selectis dici et sensus aperte docet et similium locorum comparatio 767[a]: τὸ δὲ τρίτον (δικαστήριον) . . . τέλος ἐπιθέτω τῇ δίκῃ. 768[b]: τὸ δὲ τέλος κρί-

---

1) τούτων A.

νειν πάντων τῶν τοιούτων ἐκεῖνο τὸ δικαστήριον, ὅ φαμεν εἴς γε ἀνθρωπίνην δύναμιν ὡς οἷόντε ἀδιαφθορώτατα παρεσκευάσθαι τοῖς μὴ δυναμένοις μήτε ἐν τοῖς γείτοσι μήτε ἐν τοῖς φυλετικοῖς δικαστηρίοις ἀπαλλάττεσθαι.

Sequamur nunc philosophum ad eam operis partem, quam, ut videbamus, ipse verbis praeparat quae sunt 768[c], ad *δικῶν ἀκριβῆ νόμων θέσιν.* Neque tamen huius libri singulas perlustrabimus paginas. Melius enim natura apparebit harum disputationum statim rem mediam adgressis. Itaque breviter praemonuisse iuvabit, quid insit in hoc libro. Disputatur autem usque ad 856[e] de eis delictis, quae gravissima videntur philosopho, de sacrilegio (— 856[a]), de factionibus ad novandas res publicas institutis et de seditione (— 856[e]), de proditione (856[e]). Quibus absolutis incipit scriptor de furto disserere. Sed interrupto per Cliniae interrogationem sermone interpositam legimus copiosam quandam de summis eis principiis digressionem quibus ius puniendi temperandum atque ordinandum sit (— 864[c]). Tum stabilita quasi norma atque regula puniendi redit scriptor, unde digressus erat, ad tria illa gravissima crimina. Deinde (865[a] sq.) continuo usque ad finem sermone de variis violentorum delictorum generibus exponit, de caede (— 874[c]) de vulnerationibus (— 879[b]) de contumeliis (usque at finem).

Atque ordiendum est ab ea difficultate, quae quemvis opinor accuratius hunc librum perlegentem offendet. Permirum enim videtur, quod „de furto“ insertum legimus (857[a]) commentarium disputationi de delictis c a p i t a l i b u s. Nam hoc loco [1]) ita de furto agitur, quasi minutum sit

---

1) Postea enim videbimus alia de hac re alio loco cogitasse scriptorem.

peccatum et „quod facile sanari possit". Et quid hoc sibi vult inter crimina capitalia? Ut ne graviores huic loco suspiciones admoveamus, necesse erit demonstretur, totam quae insequitur disputationem quippe quae ipsis illis de furto verbis videatur excitata esse, eisdem niti re vera.

Atque in forma totius huius digressionis iure offendit Zellerus[1]). Dubito vero num recte statuerit ne argumentum quidem eius quadrare in hunc locum. Verum est confusam esse hanc disputationem et contortam quam maxime et mirum quantum monstro similem sine capite et pedibus nato. Tamen videndum est, num fortasse in tenebris his certum consilium certumque sententiarum nexum detegere liceat. Atque primum adest certa aporia, ea scilicet, qui fieri possit ut salvo illo placito philosopho „non peccari nisi ab invitis" poena valeret et quidem poenae variae (860[e]): *εἰ δὴ ταῦτα οὕτως ἔχοντά ἐστιν, ὦ ξένε, τί συμβουλεύεις ἡμῖν περὶ τῆς νομοθεσίας τῇ τῶν Μαγνήτων πόλει; πότερον νομοθετεῖν ἢ μή; πῶς γὰρ οὔ; φήσω. διοριεῖς οὖν αὐτοῖς ἀκούσιά τε καὶ ἑκούσια ἀδικήματα, καὶ τῶν μὲν ἑκουσίων ἁμαρτημάτων τε καὶ ἀδικημάτων μείζους τὰς ζημίας θήσομεν, τῶν δ' ἐλάττους; ἢ πάντων ἐξ ἴσης, ὡς οὐκ ὄντων ἀδικημάτων τὸ παράπαν ἑκουσίων;* (similis autem aporia inest in Cliniae interrogatione, cur eandem omnibus peccatis poenam statuerit Atheniensis, 857[b]). Quaeritur igitur nunc, num haec difficultas profligetur sequentibus. Atque repudiatur primum divisio criminum in voluntaria atque invita (861[d]): *κατὰ τίνα δὲ τρόπον ἐστὸν δύο, εἰ μὴ τῷ τε ἀκουσίῳ*

---

1) Platon. Studien p. 66: Im neunten Buch ist die auch ihrem Inhalt nach nicht recht hergehörige Episode (857[b]—864[c]) gezwungen eingeführt; überdiess ist sie selbst nicht eine fliessende Darstellung aus einem Gusse, sondern aus ungleichartigen Stücken zusammengesetzt, deren Fugen noch wohl hervorsehen (858[c], 859[c], 860[c], 863[a]) und deren gemachtes sich auch in dem meist mühsamen Gange der Unterredung darstellt.

καὶ τῷ ἑκουσίῳ διαφέρετον ἑκάτερον, ἀλλὰ ἄλλῳ τινὶ δή-ποτε, πειρατέον ἁμῶς γέ πως δηλοῦν. Proponitur igitur haec altera, ut non iniuriae sed damna sive detrimenta dividantur in invita atque voluntaria. Iam vero cum damna ab invitis facta omnino non sint iniuriae nec puniri sed reparari debeant, eadem atque antea recurrit quaestio quomodo voluntaria damna sive iniuriae dividantur. Itaque de eis, qui volentes aliis hominibus detrimenta afferant, hoc tandem constituitur (862^{c-e}): qui sanari posse videantur, variis eos non poenarum sed eruditionis generibus docendos esse atque cogendos ne iterum iniuriam faciant; eos autem qui non possint sanari, omnes eadem mortis poena afficiendos esse.

Iam haec summa disputationis videamus num idonea *λύσις* sit eius *ἀπορίας* quam antea significavimus. Atque apertis quidem verbis non respondetur quaestioni illi; tamen responsum inest in hac novissima expositione: enim vero sequitur in civitate sua philosophus praeceptum illud, non peccari nisi ab invitis. Primum enim de iniuria quasi morbo quodam agit deque iniustis quasi aegroti sint. Deinde, si verbi notionem premis, omnibus iniuriis unam eandemque poenam constituit. Poena enim (*δίκη καὶ νόμος*) eis tantum statuitur, qui sanari non possunt, et ipsa quidem uno eodemque mortis supplicio continetur, cuius nimirum non sunt varia genera[1]). Ei autem qui possunt sanari

---

1) Locum p. 862^{e} facili medela corrigas: *ὃν δ' ἂν ἀνιάτως εἰς ταῦτα ἔχοντα αἴσθηται νομοθέτης, δίκην τούτοισι καὶ νόμον θήσει ἕνα* (libri *τινὰ*) *γιγνώσκων που, τοῖς τοιούτοις πᾶσιν ὡς ουτε αὐτοῖς ἔτι ζῆν ἄμεινον τούς τε ἄλλους ἂν διπλῇ ὠφελοῖεν ἀπαλλαττόμενοι τοῦ βίου, παράδειγμα μὲν τοῦ μὴ ἀδικεῖν τοῖς ἄλλοις γενόμενοι, ποιοῦντες δὲ ἀνδρῶν κακῶν ἔρημον τὴν πόλιν.* Conferantur simillimi loci 856^{e}: *κοινὸς δ' ἔτι τρίτος εἷς ἔστω νόμος .... καὶ μονῆς ὡσαύτως ἐκγόνοις καὶ ἐξόδου τῆς πατρίδος εἷς ἔστω περὶ ταῦτα νόμος οὗτος τρισί.* 857^{a}: *κλέπτῃ δὲ, ἐάν τε μέγα ἐάν τε σμικρὸν κλέπτῃ τις, εἷς*

non puniuntur, sed erudiuntur tantum et coguntur ut meliores fiant (862[d]: *ὁ νόμος αὐτὸν διδάξει καὶ ἀναγκάσει τὸ παράπαν εἰσαῦθις τὸ τοιοῦτον ἢ μηδέποτε ἑκόντα τολμῆσαι ποιεῖν ἢ διαφερόντως ἧττον πολύ, πρὸς τῇ τῆς βλάβης ἐκτίσει*). Quae igitur nobis diversae videbantur poenarum classes, non poenarum ea re vera sed educationis varia sunt genera.

Videamus igitur nunc, num tota haec quaestio potuerit excitari verbis supra memoratis quae de furto sunt. Atque hoc primum dicendum est: Si offendebat Clinias in eo, quod Atheniensis alicuius delicti unam semper eandemque constituerat poenam, debebat haec esse res capitalis. Atqui de ea quae nostro (857[a]) loco praecipi videtur aequa puniendi ratione id certe inepte dictum est, quod Clinius obicit: *μηδὲν διαφέρειν τῷ κλέπτοντι μέγα ἢ σμικρὸν ὑφελομένῳ* et q. s. Diversae enim statuuntur poenae secundum magnitudinem peccati, si condemnatus cogitur ut duplum fusti solvat. Sed ne rationem quidem aequabilem statuere voluisse scriptorem puniendi furti 933[e] sq. et 941[b] sq. docemur, de quibus locis explicatius posthac dicetur. Variant enim, ut videbamus, etiam in hac Platonica civitate omnes poenae summo supplicio minores. Aequabilitas autem illa puniendi tantummodo in delictis capitalibus cernitur. Qua re quia furtum non est causa capitalis, neque Atheniensis aequabilem eius poenam potuit fingere neque Clinias in ea offendere. Itaque si offendebat Cliniam poenarum aequabilitas, respexisse debet p o e n a s c a p i t a l e s.

Hactenus experiri voluimus, quo progrederemur in hac difficultate solis interioribus adhibitis argumentis. Qua re nunc si diffidis huic ratiocinationi meae, accedant aliae causae, quae vel solae suspicionem compagis aliena manu factae commoveant.

Primum enim quisque sine admonitione nostra intel-

αὖ ν ό μ ο ς κ ε ί σ θ ω κ α ὶ μ ί α δ ί κ η ς τ ι μ ω ρ ί α ξ ύ μ π α σ ι cf. etiam 884[a]. Astius coniecerat: *θάνατον* (pro *καὶ νόμον*) et *τίνειν* (pro *τινά*), Winkelmannus: *δίκην τούτοισι κατανομοθήσει τινά.*

leget, inepte Cliniam antecedentibus Atheniensis verbis opponere, qui fieri possit ut etiam sacrilegium (*καὶ ἐξ ἱερῶν ἢ ὁσίων*) non severius puniatur quam cetera furta. Sacrilegis enim civibus poena mortis iam 854[e] constituta erat.

Sed graviora argumenta accedant. Hoc enim existumo posse postulari, ut scriptor ad eam rem redeat, unde et quapropter digressus sit. Sed animadvertas capite octavo, quo in viam revertitur, prorsus nullo verbo furti mentionem fieri, cum tamen tria illa capitalia delicta expressis verbis respiciantur (864[c]): *Ἴωμεν δὴ τὰ μετὰ ταῦτα ἐκεῖσε, ὁπόθεν ἐξέβημεν δεῦρο, περαίνοντες τὴν θέσιν τῶν νόμων. ἦν δὲ ἡμῖν κείμενα περί τε τῶν συλώντων, οἶμαι, τοὺς θεοὺς καὶ τὰ περὶ τῶν προδοτῶν, ἔτι δὲ τοὺς νόμους διαφθειρόντων ἐπὶ καταλύσει τῆς παρούσης πολιτείας.*

Addo alterum locum, qui nobis indicare videtur talem *ἀπορίαν*, qualem nos postulavimus re vera causam fuisse scriptori totius digressionis, 860[b]: *τὸν ἱερόσυλόν που ἐτίθεμεν δικαίως ἂν ἀποθνήσκειν καὶ τὸν τῶν εὖ κειμένων νόμων πολέμιον, καὶ μέλλοντες δὴ νόμιμα τοιαῦτα τιθέναι πάμπολλα ἐπέσχομεν ἰδόντες, ὡς ταῦτα ἐστὶ μὲν ἄπειρα παθήματα πλήθει καὶ μεγέθεσι, δικαιότατα δὲ πάντων παθημάτων καὶ ξυμπάντων αἴσχιστα.*

Hic enim primum de furto nullum verbum. Ita autem delicta illa capitalia commemorantur, ut interlocutores substitisse videantur stupentes tantae poenae tam constantem atque crudelem aequabilitatem. Atque talis difficultas si fuerat exordium totius digressionis, intellegitur demum exitus eius, quo et necessitas exponitur summi illius supplicii et crudelitas quodammodo excusatur (863[a]: *ὃν δὲ ἂν ἀνιάτως — τὴν πόλιν*; exscripsi verba pg. 39; accedunt: *οὕτω δὴ τῶν τοιούτων πέρι νομοθέτῃ κολαστὴν τῶν ἁμαρτημάτων θάνατον ἀνάγκη νέμειν, ἄλλως δὲ οὐδαμῶς*). Quem sententiarum nexum si constituerimus, optime videbimus quasi supplementum addi (864[d]), esse quasdam etiam

in peccatis insanabilibus excusationes velut morborum insaniae senectutis pueritiae [1]).

Taceo de cp. IV, quo philosophus medicorum comparatione viam videtur praemunire inter puniendos et emendandos sibi distincturo. Hoc vero notatu dignum est, totam disputationem per se valde otiosam et molestam mirum quantum ad similitudinem formatam esse prioris loci 720a—e, (id quod Susemihl recte monuit) [2]).

Contra pessime consarcinantis (ut statim dicam, quod sentiam) transitus est ad caput V, ubi expositio illa incipit de ratione puniendi: *Διασκεπτέον ἄρα πρῶτον, ὥσπερ ἐπεχειρήσαμεν, ἀκριβῶς περὶ τῶν τε ἱεροσυλούντων καὶ*

---

1) Ita igitur progreditur scriptor in hoc libro, qui est *περὶ δυσιάτων καὶ ἀνιάτων ἀδικημάτων* (854a), ut primum de eis sceleribus quibus deorum numina vel civitas laedantur, tum de eis dicat, quae in singulorum hominum aut vitam aut corpora committantur. Cui ordini tam sapienti quam perspicuo nonne ipse sentis quam inepte disputatiuncula intrudatur de furto? De verbis vero quibus transitus fit ad leges de necibus dandas (865a) dubius sum: *φόνου δή, καθάπερ ἠρξάμεθα, πειρώμεθα διὰ τέλους παντὸς εἴδους πέρι [φόνου] θεῖναι τοὺς νόμους.* Nequeunt enim tria illa capitalia crimina hic respici. An *φόνου* notio etiam sacrilegium complectitur? Melius *διὰ τέλους* ad *καθάπερ ἠρξάμεθα* referemus: »De nece ita disputemus ut eandem rationem qua initio utebamur, usque ad finem adhibeamus«.

2) Enim vero et initium capitis fere ad verbum desumptum ex IV, 720 et in conclusione mira congruentia cernitur cum illo loco:

720c: de medicis	859a: de legibus.
προστάξας δ' αὐτῷ τὰ δόξαντα ἐξ ἐμπειρίας, ὡς ἀκριβῶς εἰδώς, καθάπερ τύραννος αὐθαδῶς οἴχεται ἀποπηδήσας πρὸς ἄλλον κάμνοντα οἰκέτην.	*οὕτω διανοώμεθα περὶ νόμων δεῖν γραφῆς γίγνεσθαι ταῖς πόλεσιν, ἐν πατρός τε καὶ μητρὸς σχήμασι φιλούντων τε καὶ νοῦν ἐχόντων φαίνεσθαι τὰ γεγραμμένα, ἢ κατὰ τύραννον καὶ δεσπότην, τάξαντα καὶ ἀπειλήσαντα, γράψαντα ἐν τοίχοις ἀπηλλάχθαι;*

κλοπῆς πάσης πέρι καὶ ἀδικημάτων ξυμπάντων, καὶ οὐ δυσχεραντέον e. q. s. His enim provocaris ut primum quaeras de sacrilegio, de quovis furti genere, de omnibus denique peccatis. Sed prorsus nihil tale sequitur; neque *ξυμπάντων ἀδικημάτων* latebit languidum esse quam maxime. Denique non habemus, quo *πρῶτον* referamus. Itaque quoniam hic locus per se insiticio mirum quantum similis est, furtum quamvis in eo commemoretur, nihil tamen valebit ad infirmandam nostram suspicionem de 857[a] natam ex comparatione locorum 860[b] et 864[d], quippe ubi non memoretur furtum.

Reliqua vero bene cohaerent et suo loco sanoque consilio scripta est disputatio quae statim sequitur 859[c]—860[c], ubi quaeritur, num iure iusta bona dicantur; nam hoc si verum esset etiam summorum suppliciorum *ἄπειρα παθήματα πλήθει καὶ μεγέθει* bona dici oportere. Quae difficultas etsi non statim solvitur, tamen et ad rem facit et profligatur posteriore disputatione. Immensa scilicet haec poenarum mala cum non statuantur propter ipsa mala sed propter bona consequentia malis, ipsa quoque bona sunt. Nam aut melior fit poena maleficus aut si morte multatur lucrum sequitur civitati (862[d.e]). Et haec igitur bene se habent et sine offensa leguntur sequentia.

Nam non video in pg. 863[a] quid Zellerum potuerit offendere. Neque est enim postquam in universum de iniustitiae natura disputavit scriptor, cur non procedere potuerit ad crimina ex varia animae hominum specie per classes dividenda (c. VII).

Sed redeamus eo, unde digressi sumus, frustulum dico illud disputationis, quod est de furto 857[a]. Vidimus haec verba inepta esse hoc loco, contraria consilio disputationis sequentis, neglegi denique duobus locis posterioribus, quibus scriptor, si quid dixisset de furto, debebat id respicere. Attamen erunt, qui ab eodem posse haec tam male conformata esse credant. Desinent autem Platoni tantas ineptias

imputare, si inter se comparaverint, quidquid aliis locis de furto ab eo in legibus praescriptum est.

Duas enim habemus satis memorabiles de furto sive clandestino sive violento disputationes, quarum altera privata tantum damna, altera publica respicere videtur. Atque in priore tres loci decernuntur hi, ut damnum resarciatur, ut *ἔκτισιν* quandam solvat violato condemnatus pro furti magnitudine, ut poena aliqua afficiatur *σωφρονιστύος ἕνεκα*, melior ut fiat. Non tolerandam enim Susemihlus huic loco infert tautologiam *παρὰ πάντα δὲ* ita interpretatus „mit einem Worte". Planum est enim verbis *παρὰ πάντα δὲ* aliquid novi induci; legas 933ᵉ: *ὅσα τις ἂν ἕτερον ἄλλον πημήνῃ κλέπτων ἢ βιαζόμενος, ἂν μὲν μείζω*[1]), *μείζονα τὴν ἔκτισιν τῷ πημανθέντι τινέτω, ἐλάττω δὲ δὴ*[2]) *ζημιώσας σμικροτέραν, παρὰ πάντα δὲ τοσαύτην ἡλίκα ἂν ἑκάστοτε ζημιώσῃ τίς τινα, μέχριπερ ἂν ἰάσηται τὸ βλαβέν· δίκην δὲ ἕκαστος πρὸς ἑκάστῳ τῷ κακουργήματι σωφρονιστύος ἕνεκα ξυνεπομένην προσεκτισάτω* i. e. „bei Allem aber[3]), in jedem Fall aber soviel . . ." Idem voluit Ficinus: „et in omnibus tantum reddat".

Altera deinde de hac re disputatio (941ᵇ⁻ᵉ) prooemio quodam inducitur, quo de furto atque rapina in universum verba fiunt, ita ut idem bene etiam prioris expositionis prooemium esse possit. Deinde vero publici furti poenae constituuntur gravissimae eae civibus. Nam cum servi et peregrini varia atque leniore ratione puniantur, civibus (quasi non possint sanari, qui in tanta eruditione tanta peccent) unum mortis supplicium decernitur.

Atque de duobus his commentariis statim videbimus. Nunc satis sit ex eis concludere Platonem de puniendo furto

---

1) *μείζων* A.

2) sic Hermannus A: *μὴ ζημιώσας*.

3) velut Prot. 325ᵈ *παρ' ἕκαστον καὶ ἔργον καὶ λόγον διδάσκοντες καὶ ἐνδεικνύμενοι*. Pol. IV, 424ᵇ: *ὅπως (οἱ ἐπιμεληταὶ τῆς πόλεως) παρὰπάντα αὐτὸ φυλάττωσι, τὸ μὴ νεωτερίζειν*...

plane alia cogitasse quam quae legimus p. 857[a]. Leviores quidem premere nolo quae offendant discrepantias. Hoc vero tolerandum non est Platonem publicum furtum eadem ratione punire 857[b] atque privatum. Talis enim differentia cum non in minutiore quadam formationis varietate posita sed ex intima cogitandi ratione exorta sit plane aliena ab ea, quam sequitur ille in delictis puniendis, gravissimum nobis et novissimum sit argumentum, quo nisi negemus Platonem noni libri partem priorem ea composuisse forma quae hodie legitur.

Itaque nunc omnibus nostris argumentis collectis et in uno conspectu positis vix metuendum erit ne multi nobis contradicant, si contendamus inde a 857[a]—859[d] quasi deficere Platonis spiritum, ita ut id quod his paginis legimus posteriori nec satis felici curae tribuendum sit.

Esto igitur hoc nobis positum eum cui hoc legum opus post mortem Platonis mandatum erat lacunam invenisse post 856[e]. Temerarius vero essem, si de ratione qua hanc lacunam suppleverit editor, quidquam pro certo vellem adfirmare. Possunt enim fere omnia quae hic exstant esse Platonica, vel potius ex frustulis orta genuinis et ad unius disputationis continuitatem conglutinata, quae certe non est Platonis. Ita invenit in schedis eius 858[a], [b]; videbamus autem nimis esse Platonica 857[c] [d], 859[a]. Potest etiam invenisse commentariolum quendam de furto interruptum et abiectum ab ipso scriptore.

Videtur enim saepius Plato ita scribendi munere functus esse, ut eandem rem quasi a diversis partibus et diversa ratione adgrederetur, fecitque hoc in suum usum nullaque legentium habita ratione. Nimirum in animo ei erat, postea has discrepantias perpoliendo atque delimando, addendo atque adimendo ut tolleret. Huius enim rationis ut supra nobis videbamur exemplum proposuisse aliquod cum duo illa de iudiciis tractaremus capita, ita nunc apertissima in excutiendo furto vestigia posse ostendere opinamur.

Quae enim de hac re in libro XI et XII extant duae expositiones valde sunt memorabiles. Nam si non plane paria, tamen tam similia tractant, ut primum miremur quod non coniunctae legantur. Deinde vero accuratius inspicienti scrupulum hoc iniciet, quod tam similia tam dispari ratione tractantur. Altera enim expositio (941[b]) optime generalibus de hac re placitis philosophis nititur, cum inter eos discernat qui sanari possint eosque qui sint insanabiles. Priore contra loco (933[e]) etsi concedimus suo iure minus esse severum philosophum in privatis quam in publicis delictis, aegre tamen caremus primaria illa criminum divisione. Nam a furtorum poenis ad ipsam poenarum naturam scriptor abripitur, ut non iam de privato furto sive rapina, sed de omnibus in universum disputet peccatis (*δίκην δὲ ἕκαστος πρὸς ἑκάστῳ τῷ κακουργήματι σωφρονιστίος ἕνεκα προσεκτισάτω*). Atque si indicantur novissimis huius capitis verbis *τῶν κλοπαίων τε καὶ βιαίων πάντων αἱ ζημίαι,* continentur his opinor etiam publica furta, idque eo dignius est notatu, quod (ut vidimus) etiam altero loco publica furta inducuntur prooemio in quo et publica et privata furta contineantur (941[b] *κλοπὴ μὲν χρημάτων ἀνελεύθερον, ἁρπαγὴ δὲ ἀναίσχυντον* e. q. s.)

Accedit vero quod utraque expositio adeo non pendet ex antecedentibus neque cohaeret cum sequentibus, ut iure dubitemus, num a Platone ita collocatae sint. Videamus autem primum, quo iure libro XI insertum sit 933[e] sqq. In quo libro ille *περὶ ξυμβολαίων* agere se velle profitetur. Atque hoc munere prioribus quinque capitibus functus ita pergit (922[a]): *τὰ μὲν δὴ μέγιστα τῶν ξυμβολαίων, ὅσα πρὸς ἀλλήλους ἄνθρωποι ξυμβάλλουσι, πλήν γε ὀρφανικῶν καὶ τῆς τῶν ἐπιτρόπων ἐπιμελείας τῶν ὀρφανῶν, σχεδὸν ἡμῖν διατέτακται.* Itaque tutoris officia erga pupillos adnumerat pactionibus. Atque est sane aliquod pactum si tutor ei a quo pupillum accipit sese obligat, ut ei procuret. Ea vero quae tanquam exordium institutis tutoriis praemittitur

res hereditaria universa neque pertinet ad obligationes neque ipsi scriptori pertinere visa est. Accedit quod loco supra memorato obligationibus tutoriis expressis verbis ultimus locus tribuitur. Itaque capite VIII cessat sermo de *ξυμβολαίοις*, incipit res nova. Qua re Platonem non credo furta obligationibus adnumerare voluisse partitione adhibita inter *ἀκούσια* atque *ἑκούσια ξυμβόλαια* (obligationes e contractu et ex delicto; cf. Meier = Schoemann att. Process. pg. 495). Si volebat, videlicet expressis verbis se ad obligationes redire pronuntiare debebat. At enim non pronuntiavit. Contra id ipsum movet suspicionem, tam nuda haec posita esse: *ὅσα τις ἂν ἕτερον κτε.* Aliud addo: nam planum hoc est, crimina veneficorum et magorum (*ὅσα τις ἄλλος ἄλλον πημαίνει φαρμάκοις* e. q. s. 932[e]), quae iam 932[e]—933[e] illustrantur, singularem esse speciem violentiae universae; atqui haec demum 933[e] verbis *ὅσα τις ἂν ἕτερον πημήνῃ κλέπτων ἢ βιαζόμενος* inducitur.

Atque quale initium huius de furto et violentia disputationis talis etiam finis. Hoc enim Susemihl recte vidit discussionem quae promittitur verbis: *τῶν κλοπαίων τε καὶ βιαίων πάντων τὰς ζημίας λεγομένας οἵας δεῖ γίγνεσθαι, λεκτέον, ὅπως ἂν ἡμῖν παρείκωσι θεοὶ καὶ θεῶν παῖδες νομοθετεῖν* nusquam occurrere. Nil dicam de altero libri XII loco. Quem nec cum legationibus quae praecedunt nec cum militum officiis cohaerere quae sequuntur, quivis videbit.

Qua re haec omnia qui mecum perpenderit, concedet fortasse in hanc sententiam: Plato quae de furto deque violentia prolaturus erat, incitavit tantum, non perfecit atque exponere rem bis adgressus erat delineando. Unde factum est, ut nos duo quasi commentaria imperfecti operis ante oculos habeamus p. 933, 941, qui locum suum alienae manui debent [1]).

---

1) Ex simili igitur frustulo abrupto et spreto ab ipso scriptore originem fortasse duxit 857[a]. — Aliud in transcursu afferam

Eodem vero pertinent etiam actiones *περὶ βλάβης*, quarum dispersa quaedam membra facile agnoscuntur 932e—933e, 936c—e, 955d.

Expectabis finem disputandi. Sed ne destruere tantum videar coniecturam quamvis dubitanter proferam de loco cui potuerit Plato expositiones de violatis bonis alienis destinare. Primum autem non apta videntur delicta ad librum XI, ubi de mutuis civium officiis agitur. Illa si voluisset hoc libro tractare, in initio eius posuisset, ubi praeceptum hoc generale *μήτε οὖν τις τῶν ἐμῶν χρημάτων ἅπτοιτο εἰς δύναμιν, μηδ' αὖ κινήσειε μηδὲ τὸ βραχύτατον ἐμὲ μηδαμῇ μηδαμῶς πείθων· κατὰ ταὐτὰ δὲ ταῦτα καὶ περὶ τὰ τῶν ἄλλων ἐγὼ δρῴην, νοῦν ἔχων ἔμφρονα* aptissimum erat, quod talem explicationem introduceret. Sed observes qua ratione in initio disputationis de pactis praeceptum illud formatum sit, quasi ipsum quoque ex pacto ortum: „Si tu mea bona non moves, etiam ego tua non movebo". Et scite huius moniti duo eliguntur exempla de thensauris [1]) et de rebus relictis [2]), nimirum quas quis tacito hoc pacto fretus aut in terra posuerit aut alicubi reliquerit.

Sed fortasse vestigia possunt cognosci pristini scriptoris consilii in initio libri X ubi idem praeceptum occurrit (884a):

Μετὰ δὲ τὰς αἰκίας περὶ παντὸς ἓν εἰρήσθω τοιόνδε τι νόμιμον βιαίων πέρι· τῶν ἀλλοτρίων μηδένα μηδὲν φέρειν μηδὲ ἄγειν, μηδ' αὖ χρῆσθαι μηδενὶ τῶν τοῦ πέλας, ἐὰν μὴ πείσῃ τὸν κεκτημένον.

---

exemplum, quam inaequabili non solum formandi sed etiam cogitandi ratione haec instituta a Platone tractata sint. Nam reliquorum de furto institutorum certe non memor erat auctor, cum eum, qui rem ab alio relictam secum tulisset, decuplum pretii solvere iuberet 914c: *ἐλεύθερος . . . δεκαπλάσιον τῆς τιμῆς τοῦ κινηθέντος ἀποτινέτω τῷ καταλιπόντι.*

1) 913b—914b.

2) 914b, c.

Atque tolerari potest quamvis invenuste dictum illud *περὶ παντὸς ἓν τοιόνδε τι νόμιμον βιαίων πέρι*: „unum quod ad universum violentiae genus spectat“ (Ast). Sed enim oblitus esse videtur auctor se paullo antea etiam contumelias (*αἰκίας*) et *πάντα τὰ προειρημένα πάθη* violentiae adnumerasse. Nos enim si praeoccupati eis verbis quae modo legeramus (879[b]: *βίαια μὲν δὴ πάνθ' ἡμῖν τὰ προειρημένα πάθη, βίαιον δὲ καὶ τὸ τῆς αἰκίας πᾶν γένος*) ad nostrum locum devenimus, expectamus, si quid dicturum se esse promittit „quod ad omne violentiae genus spectet“ etiam illa (879) *Βίαια* ab eo respici. Sed plane aliud violentiae genus inducitur. Offensa non adesset, si libri praeberent *τῶν λοιπῶν βιαίων πέρι*. Deinde ad prorsus nova pergitur. Contumeliae enim sive petulantiae describuntur ac secundum criminis magnitudinem in classes distribuuntur: talia enim scelera possunt committi contra communia sacra, privata, parentes, magistratuum possessiones (?), singulorum civium iura.

Primum autem quid sibi vult furtum sive rapina earum rerum quae sunt magistratuum inter *ὕβρεως* varia genera? Deinde cum oratio post quintum petulantiae genus ad explicandum primum redeat, videbuntur quidem haec quinque genera eo consilio enumerari, ut singula deinceps enarrentur: *οἷς δὴ δοτέον* (*εἰς* dele cum Stallb.) *κοινὸν νόμον ἑκάστοις*. Sed duobus prioribus generibus per totum librum X explanatis plane oblitus esse videtur scriptor pristinae dispositionis. Nam libro XI prorsus nova incipiunt, atque ubi postea de contumeliis erga parentes[1]) et de publico furto[2]) agitur, hic locus prorsus neglegitur. Quintum autem genus *ὕβρεως* frustra requires in reliquo opere.

Sed haec breviter notasse satis habeo, ut libri X initium parum politum esse docerem. Iam vero quid quaeso sibi vult hoc loco praeceptum illud de sanctitate proprietatis? De qua nec in praecedenti nec in sequenti libro ullo

1) pg. 931. 2) pg. 941.

verbo disputatur. Verba autem *ἐκ γὰρ δὴ τοῦ τοιούτου πάντα ἠρτημένα τὰ*[1]) *εἰρημένα κακὰ γέγονε καὶ ἔστι καὶ ἔσται* concedes idoneam causam non esse, cur abrupta haec adnotatiuncula interposita legatur tam amplis et tam alienis disputationibus. Fortasse igitur Plato hoc loco volebat eis delictis defungi quae committuntur contra bona remque familiarem civium.

Quod cur suspicer alia accedit causa. Hoc enim loco si volebat Plato de violentia agere, eandem tenuit partitionem quam sequitur in omnibus rebus humanis eam, ut primum locum anima, alterum corpus teneat, tertium res familiaris (cf. 631[c], 728[d], 743[e] alia). Atque nunc demum ea quoque intelleges verba quibus transitus fit a caedibus ad vulnerationes 874[d]: *τὰ μὲν τοίνυν περὶ τροφήν τε ζώσης ψυχῆς καὶ παιδείαν, ὧν αὐτῇ τυχούσῃ μὲν βιωτόν, ἀτυχησάσῃ δὲ τοὐναντίον, καὶ περὶ θανάτων τῶν βιαίων ἃς δεῖ τιμωρίας γίγνεσθαι νενομοθετήσθω· τὰ δὲ περὶ τὴν τῶν σωμάτων τροφὴν μὲν καὶ παιδείαν εἴρηται, τὸ δ' ἐχόμενον τούτων, αἱ βίαιοι πράξεις ὑπ' ἀλλήλων ἀκούσιοί τε καὶ ἑκούσιοι γιγνόμεναι διοριστέον εἰς δύναμιν αἵτέ εἰσι καὶ ὅσαι, καὶ ὧν ἂν τυγχάνουσαι τιμωρήσεων τὸ πρόσφορον ἔχοιεν ἂν ἕκασται.*

Nimirum hoc dicit: ,,sicut antea primum de animae, tum de corporis educatione diximus, sic in describendis peccatis primum ea delicta posuimus, quibus anima, tum quibus corpus alicuius laeditur". Optime igitur tertio loco Plato ea adserere poterat peccata, quae contra rem familiarem alicuius committuntur.

Tandem vero finem imponamus coniecturis nostris diu puto tibi exoptatum. Certa non multa, multa ambigua, nonnulla etiam veri nimis dissimilia fore ut tibi videantur scio. Veniam tamen paratam inde mihi esse spero, quod fere primus hac coniectandi via usus sum non minus lubrica ea ac spinosa quam necessaria verum indaganti.

1) *τά τε* libri quod Stallbaum tenet; Astius *τά γε*; cum Hermanno eieci.

VITA.

Georgius Hermannus Ivo Bruns Halis Saxonum anno h. s. LIII die XX mensis Mai natus sum patre Georgio matre Carlotta e gente Gmelin. Anno LIX parentes Tubingam anno LXI Berolinum se contulerunt. Litterarum elementis Tubingae Ballenstaedti Berolini imbuto optime mihi contigit ut gymnasii Portensis discipulus fierem. Per V ibi semestria saluberrima virorum humanissimorum institutione usus sum Peteri, Kochii, (quem praematura morte ereptum nobis esse valde doleo) Siegfriedi aliorum. Maturitatis testimonio auctus Berolinum me contuli, ubi stipendia feci et scholas frequentavi virorum praestantissimorum Brunsii, Curtii, Droysenii, Hauptii, Hübneri, Kirchhoffii, Zelleri. Vere anni LXXIV almam hanc studiorum sedem adii, cuius per tres annos civis fui. Docuerunt me viri clarissimi Buecheler, Bernays, R. Kekulé, de Sybel, Usener. Ut in seminarium philologicum Bonnense reciperer, Buecheleri, Heimsoethi, Useneri erga me benevolentia factum est. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt epigraphicis et philologicis Buecheler, archaeologicis Kekulé. Quibus viris omnibus, imprimis vero B u e c h e l e r o et U s e n e r o, praeceptoribus singularibus, gratiam semper habebo quam maximam.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Falso Thurot (Bibliothèque de l'école des hautes études fasc. 17) in emendando Ciceronis de fato libello respiciendum esse dixit codicem Turonensem. Est enim Vindobonensis apographum.

II. Theognis 22 (Bergk) ὧδε δ' ἕκαστος ἐρεῖ scribendum.

III. Nimis adhuc neglectae sunt in studiis Platonicis quaestiones de particulis, gravissimae illae quidem ad constituendum ordinem dialogorum. Velut eadem ratione, qua crebrescunt particulae restringentes (σχεδὸν sim.), rarescunt logicae (ἄρα sim.).

IV. Alienum ab iis scriptis Platonicis, quae perfecta arte composita sunt, λεγόμενος participium ita usurpatum ut sit „de quo dictum est".

V. Politicus dialogus Platonis eo consilio scriptus est, ut defenderet artem methodologicam sive dichotomicam in Sophista adhibitam.

VI. Falsi commentatores Lucretiani in interpretando participio „confulta" (Lucr. II, 98). Vertit enim Lucretius hoc verbo Epicuream (Diog. Laert. X, 44. ὑπερείσεως cf. 42, 50) notionem.

VII. Lucret. II v. 98 legendum: . . magnis *convecta* resultant, v. 101: . . intervallis *confulta* resultant.

VIII. De tempore, quo Seneca philosophus consul fuerit, certi quidquam ne Borghesiana quidem ratione effectum est.

IX. Studia quae versantur in historia philosophiae graecae quam acerrime defendenda a rationibus quas Teichmüller nuper proposuit in libro „die platonische Frage".